



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quæstio Vltima. Vtrum Theologia naturalis totalis sit una simplex qualitas
vel composita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Ad primum tertiæ sententiæ respondeo negando quod ibi supponit Vasquez, nimirum quod obiectum beatitudinis naturalis non sit Deus; quare licet daretur, vt de facto datur, non esset aliud beatitudo nostra præter Deum, nec esset aliud summum bonum præter ipsum, quo beatificaremur obiective, vt iam probatum manet.

93 Ad secundum respondeo illud argumentum non probare esse impossibile beatitudinem naturalem, nam quamvis concederemus eam dari non posse in homine, aut Angelo creato, pro statu puræ creationis, id est pro statu in quo consideratur cum solo creationis dono, & secundum id, quod illi debetur naturaliter, quia donum illud præcise sumptum non satis est ad excludendam peccati miseriam, sed adhuc necessaria essent alia auxilia, & dona vt non peccaret contra præcepta naturalia, sed ex hoc nihil contrarios, quia posset Deus creaturam illam, quam non ordinasset ad finem supernaturalem, sed ad naturalem plurimis donis, & auxilijs communit, ne peccarent, quæ dona, & auxilia licet simpliciter non essent debita tali naturæ, deberet tamen illa Deus suæ sapientiæ, ac bonitati, ex eo quod hominem ordinasset ad illam beatitudinem consequendam, sub ratione præmij, si in officio stetit essigitante id aliquo modo natura illa, vt de auxilijs specialibus intra ordinem naturæ ordinis quidem naturalis absolute illi provideret, quibus vigorosus esset & potens ad impedimenta se se offerentia superandum, quod adeo verum est, vt si e contra eveniret, esset contra commune principium evidens, quod natura cum sit perfecta non deficit in necessarijs, sed illa auxilia, & dona sunt ad consequendum finem naturalem necessaria: ergo si illa non sunt intra ordinem naturæ & vires ipsius, sed indiget natura ad hunc finem naturalem consequendum supernaturalibus auxilijs, natura deficiet in necessarijs, quod est falsissimum.

94 Deinde respondeo concedendo maiorem, & distinguendo minorem: actus Theologiæ compatitur secum peccatum lethale, vt est simul cum amore Dei super omnia, & rectitudine vitæ, nego: in quibus omnibus consistit beatitudo naturalis, ita vt actus Theologiæ sine amore non sit beatitudo naturalis, licet quando est simul cum amore, & rectitudine vitæ sit primaria ratio beatitudinis; exemplum evidens est, anima rationalis sola non est homo, & nihilominus est primaria ratio in constitutione hominis, ita actus Theologiæ solus concedo; sed ille solus non est beatitudo naturalis.

95 Vltimo respondeo falsum esse quod beatitudo, quæ non est omnium perfectissima, non compatiatur peccatū lethale, quia, vt omnes DD. & Expositores sacre Scripturæ supra à nobis citati asserunt ex D. Aug. Ambros. & cæteris, quod etiam probat clarissimè D. Th. op. 6. sup. Symb. Apostolo. & adducit ad hoc illud Iohannis 10. Beati qui non viderunt, & crediderunt fidem divinam esse beatitudinem supernaturalem vitæ, & nihilominus non excludit peccatum mortale, vt fide decretum est: ergo similiter beatitudo naturalis, quæ non est omnium perfectissima potest compati secum peccatum mortale, & nihilominus non desinet.

96 Ad confirmationem primam eodem modo respondendum est quoad secundam: ad secundam confirmationem respondeo concedo antecedens, R. P. Ildeph. de Peñañiel, Theol. Schol. Tom. I.

quantum ad primam partem distingue illud quantum ad secundam; sed egent gratia Dei distincta à dono creationis, &c. ad servanda præcepta naturalia seorsim sive divisim sumpta, vel ad omnia collecta pro brevi aliquo tempore, nego antecedens; pro longo tempore concedo antecedens, vnde homo gratia solum creationis pro brevi illo tempore poterit obtinere beatitudinem naturalem quantum ad substantiam, esto non possit quantum ad statum.

Ad tertium concede maiorem si sermo sit de 97 rectitudine actuali voluntatis, & distingue minorem, sed hanc non potest obtinere homo absque gratia Dei distincta à dono creationis, per longum tempus concede minorem, pro brevi aliquo tempore nega minorem; quare nihil conficit argumentum.

Ad quartum distingue maiorem; ad rationem 98 beatitatis, quantum ad substantiam pertinet perpetua sive diuturna negatio, nego maiorem; ad rationem beatitatis, quantum ad statum concede maiorem, quare viribus naturæ comparari poterit quantum ad substantiam.

QVÆSTIO VLTIMA.

Vtrum Theologia naturalis totalis, sit vna simplex qualitas, vel composita.

SECTIO I.

Sententiæ Adversariorum proponuntur.

Prima sententia est pene omnium Thomistarum asserentium Theologiam naturalem esse vnam simplicem qualitatem, & probatur.

Primo ex D. Thom. 1. 2. q. 53. art. 2. ad 1. ubi sic ait, dicendum quod habitus secundum se consideratus est forma simplex, & q. 54. art. 1. in corpore ubi ait, inde est quod habitus est qualitas simplex non constituta ex pluribus habitibus, & idem asserit articulus 4. ad 3. eiusdem questionis, quid clarius.

Secundo probatur ratione, quia vna numero 2 potentia quæ est simplex qualitas intellectus nimirum, respicit plura obiecta: sed non est cur hoc negetur scientiæ Theologiæ, præsertim cum commune proloquium sit eandem scientiam esse scientiam contrariorum, quæ semper differunt specie: ergo.

Tertio quia virtus moralis est qualitas simplex, 3 sed vt sic potest extendi sine additione alicuius entitatis ad varia obiecta: ergo similiter Theologia. Probatur consequentia, quia non est minor ratio habitus voluntatis, ac intellectus: ergo.

Quarto argumentatur P. Vasquez 1. p. sic, si 4 Theologia esset qualitas composita esset plures circa singulas conclusiones diversas; sed non est ita: ergo non est composita; minor sic probatur, quia maior est evidens, si Theologia esset plures qualitates, posset vna esse sine alia, nam ea quæ distinguuntur vt res à re, possunt separari: sed qualitas Theologiæ circa posteriorem conclusionem non potest esse sine habitu circa priorem, sicut neque demonstratio posterioris sine priori demonstratione: ergo.

Secunda sententia est P. Vasquez 1. 2. tom. 1. disp. 5 80. cap. 5. ubi asserit habitum totalem scientiæ, v. g. Theologiam naturalem, non esse simplicem qualitatem

litatem sed compositam, hanc autem compositionem non esse inter partes, quæ omnes sint res, sed inter qualitatem realem, & modos, quia opinatur per primam demonstrationem acquiri qualitatem realem, augeri tamen, & extendi hanc qualitatem ad nova objecta materialia, quæ sunt sub eadem ratione formali non per additionem realis qualitatis, sed per modos superadditos primæ qualitatis, & per illos modos habitum inclinare potentiam ad novum obiectum materiale, hanc tamen sententiam nulla ratione probat P. Vasquez nisi explicatione eius suadet.

6 Tertia sententia est eorum qui asserunt habitum non esse qualitatem simplicem, sed compositam ex pluribus qualitibus vere realibus, unitis quidem, non compositione & unione physica, & vera, sed compositione, & unione ordinis, sic P. Suarez in *Metaphysica*, tom. 2. disp. 44. sect. 11. eam tenet P. Hurtado lib. de anima, disp. 16. sect. 1. sub sect. 1. num. 16. item Fonseca, Connimb. Rub. & probatur sic à P. Suarez primo his verbis.

7 Primo, quia unio physica, & per se non est inter partes, nisi ut inter actum, & potentiam vel inter partes integrantes, quæ ununtur per modum partium quantitatis aliquo termino indivisibili, in quo illæ partes coniungantur, sed neutro modo ununtur illi habitus: ergo. Minor quoad primam partem sic probatur, quia actus recipitur in potentia, sed una pars habitus non recipitur in alia: ergo non se habent ut actus, & potentia; quoad secundam partem sic probatur, quia illi habitus sunt indivisibiles & spirituales, sed huiusmodi entitates non ununtur inter se unione physica per modum continuationis & integritatis, quia hoc est proprium entis corporei: ergo.

8 Secundo quia in actibus intellectus producentibus illos habitus, non datur talis unio: ergo nec inter habitus productos: antecedens negat nullus; consequentia sic probatur, quia proportionem servata nihil reperitur in habitu, quin præcesserit in actu, sed tale genus unionis non præcessit in actu: ergo non reperitur in habitu.

9 Tertio probat idem Suarez, quia illa unio debet representare aliquod obiectum, cum unio debeat esse, sicut est res cuius est modus, sed non est maior ratio cur representet potius obiectum huius habitus, quam alterius, nec potest representare utrumque obiectum; quia quod non reperitur in perfectiori, nimirum in quocunque habitu partiali, non potest reperiri in imperfectiori, quod est unio talis habitus partialis.

SECTIO II.

Aliqua certa notantur.

10 **A**dvertendum est tãquam certum græce & latine habitum, ut sic, qui ut prima species qualitatis assignatur ab Arist. esse essentialiter dispositionem & ideo definiens habitum ut sic, secundum id, quod ei essentialiter convenit, ponit semper loco generis habitus, in omnibus suis definitionibus dispositionem ut sic, nam 7. *Physic. cap. 3. tex. 17.* sic ait habitus est dispositio perfecti ad optimum, & lib. 1. *Met. cap. 20.* ubi ut bene advertit, D. Thom. essentiam habitus, ut sic definit, sic ait habitus est dispositio secundum quam bene aut male disponitur dispositum, Ex quibus

colligitur evidenter dispositionem, quæ græce vocatur *diáresis* esse rationem essentialiter constitutivam habitus ut sic, quia genus constituit essentialiter rem cuius est genus, ut animal constituit essentialiter hominem; cum autem habitus ut sic, sit ratio superior essentialiter contrahibilis per differentias essentielles, tam ad habitus acquisitos intellectuales, v.g. ad scientias, ut Metaphysicam, Philosophiam, &c. quam ad virtutes morales voluntatis, ut sunt iustitia, fortitudo, &c. sequitur necessario has omnes species habituum essentialiter esse dispositiones, quia quod convenit essentialiter superiori, convenit essentialiter omni contento sub illo secundum illud axioma Dialecticum, (dici de omni, & dici de nullo), ut autem recte intelligatur essentia habitus præ manibus habenda est divisio illius in habitum acquisitum; & per se infusum, habitus per se infusus sic definitur à Theologis, est habitus à Deo solum tanquam à causa principali particulari productus, primo & per se ordinatus, ad opus supernaturale intrinsecum efficiendum non facilitatem, sed simpliciter posse tribuens potentia, vel brevius est habitus supra omnia principia intrinseca eius cui convenit ad supernaturale opus efficiendum ordinatus, v.g. ut lumen gloriæ, & charitas de quibus longe, ac late à Theologis disputatur ac proinde sciens ac prudens in presenti illi supersedeo, ne falcem in alienam messem mittamus.

Habitus acquisitus multis modis definitur, sed hæ sunt præcipuæ definitiones inter quas est prima, quam adducit Gabriel in 3. *dist. 23.* hoc modo, habitus acquisitus est qualitas absoluta difficultet mobilis, ex actibus potentia vitalis genita, ad similiū actuum productionē inclinativa. Secunda est, quam adducit P. Suar. in *Met. disp. 44. sect. 1.* sic habitus acquisitus est qualitas permanens, & de se stabilis in subiecto per se primo ordinata ad operationem, non tribuens primam facultatem operandi, sed facilitans, & adiuvans illam. Tertia est: habitus est qualitas permanens, producta per actus vitales, facilitans potentiam ad similes actus, ad quod præsupponit virtutem necessariam, & completam in potentia.

Explicatur, primo enim ponitur loco generis 12a qualitas quia omnis habitus est vera, ac realis qualitas essentialiter contenta in prædicamento qualitatis, constituensque primam speciem illius prædicamenti, videatur ibi, *tract. de prædicam. qualitat. 1.* quod autem sit permanens sic probatur primo, quia habitus in hoc distinguitur ab actu, ut suo loco probatur, quod actus statim fluit, & transit, habitus autem stat, & permanet, & ut bene advertit P. Hurtado, ipsa experientia nos docet habitum habere permanentiam; nam quicunque difficile deponit mores quibus est assuetus, assuecit autem per habitum, & ratio à priori est, quia habitus producit per multos actus, unde cum difficile, & tarde producat, tarde etiam & difficile destruit, sicut v.g. quod in cera elaboratur, quia facile, & cito fit, facile & cito destruitur, contra vero quod in ære solido elaboratur, excellatur, quia difficile, & tarde imprimitur, tarde ac difficile destruitur, quod eodem modo contingit in habitu, qui ab instanti in quo producit, ad instanti in quo destruitur, cum difficulter destruitur est necesse, ut perseveret & permaneat, sicut permanet ære facili elaboratum, quod autem acquiratur actibus vitalibus patet, cum in solis potentij

Quæst. VIII. Vtrum sit vna simplex, &c. 69

tij vitalibus reperiantur, quod longius alibi probabitur cum vero inclinare intellectum ad similes actus experientia constat, primo quia homines concipiunt se quotidiano viu, & consuetudine alicuius rei in illam ita propendere, vt vix possint ab ea diuelli licet in eius exercitio gravissimas experti sint difficultates: secundo deinde, quia habitus ex sua natura tendit ad operationem, vnde est quasi pondus ad illam, & sicut quia gravitas in lapide est pondus ad centrum, & existit in lapide, inclinatur necessario lapidem ad motum deorsum, quo centrum acquiritur; ita similiter habitus suo quasi pondere, vt ita dicam, existendo in intellectu, inclinatur ipsum ad similes operationes; habitum autem facilitate potentiam ad opus eodem probatur experimento, quapropter dicitur consuetudo est altera natura, & probatur facile, quia antequam acquiritur habitus potentia difficulter procedit in operationibus, quæ difficultas vincitur formaliter per habitum, & sic dicitur ab omnibus DD. esse facilitatem, seu habilitatem potentie formalem; & ratio huius evidens est, quia habitus acquisitus, nec est ipsa potentia, nec complet illam in esse potentie; vnde solum relinquatur, vt sit facilitas, & habilitas ipsius, qua potentia indifferens ad plures actus, & obiecta difficultates sibi occurrentes superat, quod autem præsupponat potentiam completam ante se probatum manet in logica, q. ult. *proemialium*, ubi agitur de necessitate logicæ, in præsentem autem sic demonstratur, quia habitus acquiritur per actus: ergo præsupponit in potentia virtutem completam ad producendum actum, & habitum, quia omnis effectus suam præsupponit causam, vnde quando actualiter producit effectum: talis causa necessario præsupponitur ante illum completa, alias non produceret illum, & ideo potentia visiva ante adventum speciei impressæ non potest producere effectum, quia per talem speciem completur in ratione causæ, ergo antequam sit habitus iam præsupponitur in potentia virtus necessaria, & completa, quapropter dicitur, habitus non dat posse sed facile posse, in quo, vt dixi, distinguitur habitus acquisitus à per se infuso, vt omnes DD. tradunt cum D. Thom. 1.2. q. 49. art. 3. in corpore, adionda solutione ad primum, & ibidem Caietanus, P. Suarez in *Metaphysicis* 4.4. P. Valquez. 1.2. tom. 1. disp. 8. cap. 4. & 5. *Egidius de præsentia* tom. 1. & 2. de beatitudine, & sic ceteri omnes, & ratio huius est evidens, quia habitus infusus cum sit supernaturalis, & ad supernaturale opus intrinsecum, non est ad facilitandam potentiam ad id, quod absolute potest, sed est ad elevandam potentiam ad hoc vt operetur, & possit operari cum tali habitu, quod sine illo absolute non poterat, cum sit opus supernaturale vt visio beatifica, quæ ex eo quod opus supernaturalis sit, petit vt sit supra omnia principia intrinseca illius potentie cui convenit, quare habitus conformata potentia operatur tale opus, dicitur tribuere potentiam ad facilitatem, sed posse simpliciter facere opus, quod absolute sine illo non poterat facere, quod econtra evenit in habitu acquisito, qui vt explicatum manet non tribuit posse facere potentie, quia sine illo absolute habebat posse, sed tantum tribuit potentie facilitatem, habilitatem, & promptitudinem ad faciendum quod faciebat difficulter sine tali habitu, quod adeo verum est, vt nisi in nobis experiremur hanc facilitatem, & promptitudinem in operando assuetudine, &

exercitatione comparatam, nemo sane affirmaret inesse potentie nostris habitus aliquos, quomobrem quotiescunque confluerit nobis ad aliquam operationem necessarium esse comparare aptitudinem aliquam & promptitudinem, eo quod circa eam sit aliqua difficultas in potentia, & facilitate, fatendum ingenue est ad eam operationem necessarium esse habitum, imo si in novo obiecto sit eadem difficultas, quæ est ratio ob quam requiritur habitus, negari non potest circa illud etiam necessarium esse acquirere habitum, quo vincatur formaliter difficultas illa, quia illa non vincitur nisi facilitate formaliter, quæ est habitus sicut virtus formaliter non expellitur, nisi per formalem virtutem, & infirmitas per salutem formaliter, imo fatendum est nondum acquisitum esse circa illud obiectum habitum, quando permanet in potentia, & in obiecto ipso eadem difficultatis ratio ob quam habitus est simpliciter necessarius, quare aut dicendum est necessarium esse acquirere novum, & integrum habitum, aut habitum acquisitum item mutari per additionem novæ entitatis habitus, vt vincat novam illam difficultatem circa illud obiectum, & præter circa illud promptitudinem, quam solus habitus potest præstare.

Deinde breviter advertendum, habitus virtutis 13 stricte non esse necessarios, nec in intellectu, vt ferantur in veritatem vt sic separatam & abstracte consideratam sine materia, nec in voluntate nostra, vt feratur in ipsam honestatem virtutis, vt sic præcise conceptam sine materia aliqua; sic enim tanta promptitudine eis afficimur, vt tum nullam difficultatem in exercitio circa illam habeamus, tum nullam comparemus nobis facilitatem, ex assuetudine actuum circa ipsam, & ideo virtus dicitur esse habitus electivus, quia vt bene advertit P. Valquez. 1.2. disp. 1. cap. 1. ex sententia Arist. 6. *Ethic.* cap. 9. & 12. & 3. *Ethicorum*, cap. 1. affectus qui dicitur voluntas versatur circa honestatem virtutis, secundum se, at vero affectus electionis, seu electivus est circa eandem honestatem in materia contractam, & quia ratione materiam in qua est, habet admixtum aliquid difficultatis & laboris, quo retrahitur voluntas, & retardatur ab affectu circa illam, ideo electio virtutis, quæ est affectus circa honestatem contractam in materia difficili, est nobis difficilis, ita vt solum ad illam indigeamus habitum voluntate, assuetudine, & usu comparato, vt facile, & prompte eligamus, sed etiam in intellectu, vt de illa recte in singulari iudicemus, & ideo recte definitur virtus ab Aristotele 1. *Ethic.* cap. 6. hoc modo: Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens ea quæ est ad nos definita ratione, & vt definitur ipse prudens.

SECTIO III.

Nostra sententia explicatur, & prima conclusio proponitur.

Prima conclusio: Theologia naturalis totalis, non est vna simplex qualitas, sed composita hæc est omnium DD. Societas.
Primo probatur expressa autoritate Aristotelis, qui definiens omnem habitum vt innotabili vidimus, ait tom. 7. *physicorum*, c. 3. *quam* 5. *metaphysicorum*, c. 10. 13 esse

esse dispositionem, qua disponitur subiectum: sed dispositio essentialiter includit multas partes, & ordinem inter illas: ergo omnis habitus, qui essentialiter est dispositio, essentialiter includit partes, & ordinem inter illas: unde non erit simplex, sed composita qualitas. Maior, & consequentia sunt evidentes, minor sic probatur ex verbis Arist. de deficientis dispositionem, ut sic, cap. 19. eiusdem 5. lib. ubi sic ait, dispositio est ordo partes habentis, & reddit rationem huius his verbis, positionem enim quandam esse oportet, sicut ipsum etiam dispositionis nomen significat, quibus aperte denotat esse ordinem plurium habentium positionem inter se; si enim non sunt plura non potest dici positio.

Vanum autem est existimare Arist. in eo 2. 19. aliam dispositionem definisse præter eam, quam pro genere habitus cap. seq. assumpturus erat, præsertim cum e. seq. magis quam alibi non definiat alio modo dispositionem, quocirca postquam Arist. cap. illo 10. prædictam definitionem habitus tradidit, exemplum quod posuit, in sanitate quidem posuit his verbis, ut sanitas quidam habitus est, dispositio enim talis est, ac si diceret sanitas est unus habitus ex his, quos definimus, quis autem dicat sanitatem esse qualitatem simplicem, cum vera sint quatuor qualitates, & humores corporis animalis, ad temperamentum quoddam redacti.

Dices, Arist. illa definitione solum comprehendisse, & definisse habitus corporeos, ut sanitatem, & pulchritudinem, non autem habitus spirituales, qui simplices qualitates sunt.

15 Contra, quia D. Thom. explicans illud cap. 10. & definitionem illo cap. traditam, sic ait lect. 2. dicitur ab Arist. habitus dispositio, secundum quam aliquid disponitur bene vel male, sicut sanitate aliquid disponitur bene, & aegritudine male, & non solum habitus dicitur dispositio totius, sed etiam dispositio, quæ est pars dispositionis totius, sicut bonæ dispositiones partium animalis sunt partes bonæ habitudinis in toto animali, & virtutes etiam partium animæ sunt quidam habitus, sicut temperantia, concupiscibilis, fortitudo, irascibilis, & prudentia rationalis: ex quibus evidenter colligitur Arist. secundum sententiam expressam Angelici Doctoris, non solum definisse habitus corporeos, ut sanitatem & pulchritudinem, sed etiam spirituales ut prudentiam, & fortitudinem; de quibus nullus dubitare potest, an sint vel non sint spirituales, quia cum subiectentur in intellectu, & voluntate, suntque perfectiones talium potentiarum, necessario dicendum est esse spirituales, imo ut omnes Theologi, & Philosophi asserunt omnibus habitibus spiritualibus convenire, quod sint dispositiones quibus bene vel male disponitur subiectum, ut sunt vitia, & virtutes morales, quod patet clarissime ex Arist. nam ipse dividens in hoc 5. lib. dispositionem ut sic, comprehendit sub illa divisione, omnes habitus tam spirituales, quam corporeos, nam ipse sic ait dispositio est ordo habentis partes, aut secundum locum, aut secundum speciem, aut secundum potentiam, ubi expresse comprehendit nomine dispositionis omnes habitus corporeos, cum ait, aut secundum locum, aut secundum speciem; spiritualis autem cum dicit dispositionem secundum potentiam, hoc est ordo eorum, quæ in aliqua potentia, & vi operante posita sunt, ut ipsa potentia operetur, declarat magis dictio illa græca, quæ ponitur ad significandam potentiam quæ virtutem propriè

græce significat, seu vim propriè effectricem, nam nomen illud græce *dinamis* est, quo videtur Arist. lib. 3. de anima, ad significandum intellectum, & voluntatem, quæ potentia spirituales sunt, & ita Perionius convertit: dispositio est ordo eius quod habet partes vel in loco, vel in forma, vel in vi, vis enim potentia est seu virtus operandi, eo modo quo diximus esse intellectum, & voluntatem, ac eodem modo, quo loco citato asserimus intellectum, & voluntatem significari ab Arist. sic igitur illa est dispositio secundum potentiam, seu virtutem operandi, quæ est ordo habentis partes in aliqua potentia, qualiter diximus esse positionem plurium qualitatum, nempe disciplinarum in intellectu, qui tunc habet propriè dispositionem, quia habet aliquam positas hac ratione plures facultates ad operandum intellectualiter, quæ ex eo quod unitæ, & posite sunt cum ordine dicuntur habitus secundum potentiam, & virtutem intelligendi, ut est Logica, Philosophia, & Prudentia; hanc sententiam tenet clarissime D. Thom. 1. 2. q. 52. art. 1. & art. 1. in corpore, & clarius, q. 54. art. 1. ad 1. & art. 4. in corpore, & in solutione ad 3. & multis alijs in locis.

16 Ut autem prima ratio pro nostra conclusione in medium proferatur, pro certa habenda est attentè advertenda sententia maxime recepta inter Thomistas, & ab omnibus Theologis pro verissima accepta, & confirmata, nimirum quod si tota Theologia naturalis esset simplex qualitas, & non composita, tota illa acquireretur per primam demonstrationem scilicet per primum actum scientificum tendentem in obiectum Theologiæ materiale, sub obiecto formali illius: v. g. per cognitionem illam per quam demonstrative cognoscitur ens secundum essentiam & passionem, quia tale ens, ut patet ex D. Thom. 1. part. q. 11. art. 2. ad 4. & 1. sententiarum, dist. 24. q. 1. art. 3. ad 1. & 10. mer. lect. 4. est primum obiectum metaphysicæ seu Theologiæ naturalis quod primo se se offert cognoscendum, unde primum obiectum cognitum per primam demonstrationem dicitur ens, secundum suam essentiam, unde si tota Theologia naturalis simplex qualitas est & indivisibilis, necessario debet acquiri tota per primam illam demonstrationem, quod evidenter sic demonstratur, quia illud quod est simplex, & indivisibile non potest per partes paulatim, nec per multas actiones unam post aliam acquiri, sed necessario totum simul per unam actionem debet produci, verbi gratia Angelus, qui est entitas simplex, & indivisibilis unica, & indivisibili actione creationis producitur, quia cum actio productiva termini habeat totum suum esse in ordine ad illum tanquam fieri & modus intrinsecus ipsius, inde evenit necessario, ut maxime proportionetur cum termino, ita ut si terminus totus sit indivisibilis, & simplex actus quo producit similiter sit simplex, & indivisibilis, ut ex exemplis positus manifeste patet; imo contrarium impossibile est, quia, ut evidens axioma ait, indivisibile aut totum tangitur, aut nihil, nam si per multas actiones produceretur res simplex & indivisibilis, aut per primam produceretur secundum se totam aut non, sed secundum aliquod, & partem sui, si totum: ergo per secundum actum non est quid producat quia idem non potest bis produci, aut naturaliter reproduci perseverante

rante eadem entitate producta, si secundum aliquid & partem sui, per primam productionem producit, & per secundam actionem producit alia pars: ergo illares non est indivisibilis & simplex cum habeat partem, & partem secundum quas producat; ex quibus evidenter colligitur, rem quamlibet simplicem indivisibilem, & sine partibus non posse acquiri per multas actiones, hæc tota naturalis demonstratio admittitur à Thomistis, sine vlla controversia, & tergiversatione, ideoque asserunt totam, & integram Theologiam naturalem adæquate acquiri per primam demonstrationem, quo supposito argumentor.

17 Per primam demonstrationem, quæ habet pro obiecto ens cum sua essentia non potest acquiri tota Theologia naturalis adæquate, quatenus inclinatur, repræsentatur, & tendit habitualiter in Deum secundum suam essentiam, & attributa & impossibilitatem, ut est negatio repugnantia in existentiam, & subsistentiam: ergo tota Theologia naturalis non est simplex sed composita qualitas: hæc consequentia patet evidenter suppositis antecedente, & doctrina posita in notabili nuper adducto; nam si tota Theologia naturalis adæquate non acquiritur tota per primam illam demonstrationem, sed necessariae sunt posteriores demonstrationes ad talem adæquatam acquisitionem Theologiæ, evidenter sequitur totam Theologiam naturalem partim acquiri per primam, id est secundum partem illius, & partim per secundam, & partim per tertiam, &c. & totam per omnes illas demonstrationes: ergo tota Theologia naturalis habet partes siquidem secundum eas producit: ergo est composita, & non simplex, quia simplex omnino caret partibus.

18 Antecedens in quo est tota difficultas sic convincitur, quia illa prima demonstratio seu cognitio, quæ tendit in ens quatenus habet essentiam, & quatenus distinguitur à nihilo, &c. est adæquata repræsentatio, & tendentia adæquate in illud solum obiectum, sed illud, quod adæquate tendit in aliquod obiectum non potest producere effectum, qui tendat in aliud obiectum, hoc est talis effectus ortus ab illa causa, non potest villo modo extendi, nec tendere extra obiectum adæquatum illius, à quo oritur tanquam à causa: ergo actus demonstrativus, qui adæquate tendit in ens secundum suam essentiam non potest producere habitum, qui tendat extra illud obiectum adæquatum ens nimirum, ita ut talis habitus procedens à tali demonstratione tendat in Deum, possibilitatem, Angelos, &c. illa maior sic probatur, quia actualis intellectio alicuius obiecti adæquate, & solum tendit in illud, quod actualiter solum repræsentatur in tali cognitione, sed in illa cognitione actualiter solum, & actualiter exprimitur, & repræsentatur ens secundum suam essentiam: ergo adæquate, & totaliter tendit in illud solum obiectum, ut sic adæquate.

19 Maior hæc sic probatur, quia tota tendentia intellectiois adæquate, & totaliter est tendentia repræsentationis & expressionis formalis actualis obiecti, quia intellectio adæquate, & simpliciter est imago obiecti & præceptio illius actualis, & ideo solum tendit in obiectum, tanquam actualis repræsentatio, ut repræsentet actualiter illud, & intentionaliter præsens fa-

ciat intellectui, & secundum hanc rationem adæquate constituitur inesse intellectiois distincte adæquate, & totaliter à voluntate, & volitione, & quod caput est ab ipso intellectu, & potentia intellectiva, à qua oritur tanquam actus secundus & imago seu repræsentatio actualis: ergo in illud solum tendit adæquate quod solum scientifice, & actualiter repræsentat cum evidentiâ.

Dices falsum esse quod intellectio solum adæquate tendat in id, quod actualiter repræsentat, quia etiam tendit in id, quod potest repræsentare, & respectu cuius habet potentialitatem ad repræsentandum ipsum, unde licet verum sit, quod in intellectu adæquate tendentia sit ad repræsentandum; non tamen est verum talem tendentiam adæquate esse ad repræsentandum actualiter.

Contra, quia in intellectu actuali nulla datur potentialitas ad repræsentandum, ita ut actus repræsentet aliquid, & habeat potentiam ad repræsentandum aliud, sed totum, quod potest repræsentare, actu repræsentat, unde cum tendentia tota adæquate intellectiois sit ad repræsentandum actu solum in illud adæquate tendit, quod actualiter repræsentat, quod autem nullam habeat potentialitatem ad repræsentandum, sic potest quia intellectio est actualis, & ultimum exercitium potentia repræsentativa per quod ultimo constituitur talis potentia in esse actus repræsentantis, sed actualis, & ultimum exercitium nullam habet potentialitatem in illa ratione qua ultimo exercitium est, alias non esset ultimum exercitium, sed daretur aliud ultimum, per quod illud etiam ultimo actualiter secundum id quod potentialitatis haberet, quod ultimum exercitium esset distinctum ex natura rei ab illo exercitio quod actuatur per ipsum, quia si intellectio habet potentiam ad repræsentandum necessario debet contrahi ad repræsentandum actualiter per actum distinctum à se ex natura rei; nam cum illa potentialitas sit finita, & limitata, non potest transire de illo statu potenciali ad actualitatem per se ipsam sine additione reali, quia hoc proprium est solius divini esse, ut ex posse reducatur ad actum sine additione reali supra ipsum posse, v.g. divina voluntas quæ ex se potest, vel indifferens est, ut velit, vel nolit creare mundum quando actu decernit creare illum, & transit de illo posse, seu melius loquar reducitur de posse velle vel decernere ad actu velle, & actu decernere in tali determinatione actualitate, & transitu, nulla fit additio realis in illo posse propter eminentiam, & infinitam perfectionem divinæ voluntatis, & naturæ per quam distinguitur ab omni ente creato; quod etiam amplius potest illustrari exemplo scientiæ visionis Dei, quæ antequam produceretur actu Petrus & transiret de possibilitate ad existentiam, poterat repræsentare actualitatem seu existentiam actu exercitium illius, quando autem actu producit, repræsentat talis scientia actu illam actualitatem, quam ante decretum non repræsentabat, sed poterat repræsentare ab æterno, sed hæc reductio ad actualitatem non fit per aliquod additum ex natura rei distinctum ab ipsa scientia infinita Dei, cui conveniunt hæc, & aliæ perfectiones propter immutabilitatem, & summam eminentiam talis scientiæ divinæ, quod aliter evenit in potentia quacunq; creata quæ reducitur

ducitur necessario ad actum per aliquam entitatem distinctam ex natura rei ab ipsa potentia, ita ut nec per potentiam Dei absolutam hoc possit vlllo modo alterari; per nullam enim potentiam potest fieri ut voluntas creata transeat de posse velle, ad velle actu sine additione reali actus voluntatis supra voluntatem cum distinctione à parte rei inter talem actum, & voluntatem; & idem est in intellectu, qui minime potest transire de non intelligenti, potente tamen intelligere ad actu intelligere sine additione reali intellectus distincti; à parte rei supra ipsam potentiam intelligendi; sic similiter si intellectio haberet potentialitatem ad representandum, ut reduceretur ad actu representandum, indigeret quodam exercitio actuali illius potentialitatis distincto realiter ab ipsa, de quo interrogaretur an haberet aliquid potentialitatis vel non; si haberet procederet in infinitum, si non haberet hoc sine dubio esset solum; & non propter aliam rationem, quia in quantum intellectio actualis esset ultimum, & actuale exercitium, ultra ultimum enim non potest dari progressus: sed prima intellectio perfecta est vera & propria intellectio actualis: ergo necessario intellectio prima est ultimum, & actuale exercitium sine contrahibilitate per aliud ultimum, alias ad ultimum daretur aliud ultimum, & sic procederet in infinitum: ergo sistendum est necessario in prima intellectione, siquidem illa in quantum intellectio est, est ultimum, & actuale exercitium: ergo in quantum tale nullam habet potentialitatem ad representandum; quod adeo verum est, ut sana Theologia doceat visionem beatificam qua beatus in primo instanti vidit Deum secundum talem gradum perfectionis, adhuc de potentia Dei absoluta, non posse se extendere postea ad representandum eandem numero sine aliqua mutatione reali Deum secundum alium gradum perfectionis, & hoc ex eo quod illa visio, in quantum actualis cognitio nullam habet potentiam representandi, quod actu non representat: minor illa sic probatur, quia intellectus adaequate tendit in intelligibile, & verum non potest producere aliquid siue sit actus siue habitus, qui producitur ab intellectu qui tendat in aliud obiectum extra obiectum adaequatum intellectus, intelligibile, & verum videlicet, v.g. in amabile formaliter, & visibile, unde omnes habitus & actus illius tendunt ad intelligibile, ita ut extra intelligibile, nullus illorum tendat, quæ lex adeo necessaria est respectu potentiae in ordine ad proprios actus vel habitus, ut nec per potentiam Dei absolutam possit revocari, quis unquam dixit voluntatem posse producere aliquem habitum vel actum qui non tendat in amabile formaliter per actus amoris vel in odibile seu fugibile formaliter per actus odij, ita ut tendat in intelligibile vel visibile formaliter, ratio à priori evidens est, quia illud quod producitur ab alio, & ut in particulari agamus, habitus qui producitur ab actu accipit suum esse totum & totam essentiam ab illo, cum actus sit causa adaequata illius actus, & nihil est in effectu totaliter sumpto, quod non contineatur in causa, & quod non tribuat causa effectui cum causa tribuat esse illi, & effectus sit exercitium illius, quod est in virtute causa, unde si aliquid non continetur in causa non potest reperiri in effectu, quatenus effectus illius est, siquidem quatenus talis est, re-

cipit à causa, quod illa ipsi tribuit, & dat; sed nemo dat quod non habet: ergo effectus non potest habere quod non continet causatum sic in illo actu producente habitum, v. g. in actu quo cognoscitur ens secundum essentiam non datur tendentia ad Deum secundum suam essentiam, & attributa, nec ad Angelos: ergo non potest producere habitum tendentem in illa obiecta, quia cum illa tendentia sit de essentia habitus, & sit idem cum entitate ipsius, necessario est ut recipiat illam ab actu tanquam à sua causa adaequata à qua accipit entitatem, sed ipse habitus actus non habet talem tendentiam, sequitur quod actus tribuat aliquid habitui, quod in se non habeat, & sic effectus habebit aliquid in se quatenus effectus, quod non continetur in causa; utrumque enim impossibile est, sed præcipue primum cum sit contra evidentissimum axioma illud iam supra dictum, videlicet nemo dat, quod non habet.

Declaratur hoc totum in Deo, nam licet omnipotentia eadem possit extendi ad omnes creaturas possibles, nihilominus qua creat Deus Angelum non potest extendi ad creandum hominem, quia illa actio non oritur, nec est exercitium adaequatum illius potentiae infinitae, sed tantum oritur ab illa potentia quatenus præcise continet solum Angelum, & tendit in illum solum: cum autem talis actio oriatur ab illa potentia quatenus sic expresse, ut ita dicam, habet pro obiecto adaequato Angelum, non potest illa quæ pro ut sic oritur à potentia extendi ad aliud obiectum: explicatur amplius, quia omnipotentia Dei habet pro obiecto adaequato possibile, quatenus possibile non potest oriri aliqua actio ab ipsa, quæ tendat in Chimeram vel in aliud obiectum extra possibile; clarius, & evidentius exemplum, nam licet entitas divina, ut est potentia productiva ad intra personarum possit extendi ad producendum tam Spiritum sanctum, quam Filium, & possit oriri aliqua productio ab illa potentia, sic adaequate sumpta, quæ producat Spiritum sanctum; & alia productio, quæ producat Verbum, nihilominus si sumatur potentia quatenus generativa est, non potest ab illa oriri aliqua productio, quæ tendat in Spiritum sanctum, quia potentia generativa, ut talis adaequate respicit Verbum divinum ut Filium, unde nihil potest oriri ab illa potentia quod tendat extra obiectum adaequatum illius, cum omnis productio potentiae generativæ sit generatio, quæ non potest tendere extra Verbum generatum, & sic hæreticum esset dicere generatione divina produci Spiritum sanctum: ex quibus sequitur evidenter, quod absolute nihil possit oriri ab alio quod vagetur extra obiectum adaequatum illius, à quo oritur; sed demonstratum manet actum representativum entis secundum essentiam qui prima demonstratio dicitur, adaequate tendere in ens ut obiectum secundum suam essentiam: ergo evidenter sequitur non posse oriri ex illo actu, seu ex prima illa demonstratione aliquem habitum qui tendat in Deum, Angelos, &c. & vagetur extra obiectum adaequatum illius actus à quo producitur talis habitus.

Confirmatur primo, quia representatio formalis, seu actualis cognitio entis secundum essentiam nec continet representationem formalem Dei, ut infinitus est evidenter cognoscibilis id est representantem, & exprimentem formaliter

ter Deum vt infinitum, nec eminenter, nec formaliter, nec virtualiter: ergo non potest producere habitum productivum formalis representationis, & cognitionis Dei secundum suam essentiam, & attributa; antecedens evidens est, quia cognitio entis vt sic, secundum essentiam vel secundum unitatem est imperfectior essentialiter quam cognitio evidens Dei secundum essentiam, & attributa, cum tendat in obiectum materiale, & formale imperfectius essentialiter obiecto cognitionis evidens, tendentis in Deum secundum essentiam, & attributa; sed ens imperfectius essentialiter alio non potest continere illud nec formaliter, nec eminenter, alias homo posset continere Angelum vel formaliter vel eminenter, quod nullus sanæ mentis cõcedit, & potest in hunc modum demonstrari, quia omnis causa formaliter continens effectum est causa vniuoca illius, ac per consequens est eiusdem speciei, & perfectionis, ac est effectus, hoc enim est esse causam vniuocam, vt patet ex Philosophia, & videre licet in homine respectu alterius hominis, & in leone respectu alterius leonis, qui causæ vniuocæ sunt respectu effectuum, ac proinde eiusdem speciei, cum illis, sed ens imperfectius essentialiter alio non est eiusdem speciei, & essentialis perfectionis cum effectu perfectiori essentialiter ipso: ergo tale ens non potest esse causa vniuocæ entis essentialiter perfectioris se; vnde non poterit continere formaliter illud, quod autem non possit continere eminenter facilius probatur, nam causa æquivoca est perfectior essentialiter effectu, & sola causa æquivoca continet eminenter illum, sed quod est imperfectius essentialiter alio, non potest simul esse perfectius essentialiter illo alias esset, & non esset simul imperfectius essentialiter respectu ipsius: ergo non potest esse causa æquivoca, nec potest continere eminenter illud, quod vero non contineat virtualiter, sic patet, quia quando in vna cognitione evidenti virtualiter continetur alia, non potest cum illa cognitione evidenti errare, nec dari simul, aut compari error circa obiectum illius cognitionis, quæ continetur virtualiter in alia, v. g. quia in his præmissis, omnis homo est animal rationale, sed Petrus est homo, continetur virtualiter hæc cognitio Petrus est animal rationale, non potest errare intellectus circa illam dicendo: ergo Petrus non est animal rationale, aut ergo Petrus est equus & ratio evidens est, quia in scientia non continetur error, in vno enim opposito proprie, vt in calore non continetur frigiditas, sed habita prima cognitione & acquisitio habitu scientifico circa ens secundum essentiam erravit Arist. dicendo, quod Deus non erat vnus solus, sed multiplex, & quod omnipotētia Dei nō poterat creare aliquid secundum illud sibi domesticum principium: ex nihilo nihil fit: ergo in prima cognitione entis evidente non continetur virtualiter cognitio Dei evidens, secundum essentiam eius, & attributa, nec cognitio Angelorum nec subsistentiæ, cum plures protulerit errores circa intelligentias, & distinctionem subsistentiæ à natura.

Item cognitio illa in qua virtualiter continetur alia, potest esse medium formale eruendi illam, quam continet tanquam conclusionem, vt v. g. quia in hac cognitione omne ens independens est infinitum, Deus est ens independens, continetur virtualiter hæc veritas, Deus est infinitus, illa cognitio est medium formale eruendi.

R. P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

distam, sed ex hac cognitione ens est vnum, ens est aptum ad existendum, &c. minime potest erui, vt conclusio hæc, ergo Deus est vnus, & infinitus: Deus potest creare, & producere aliquid ex nihilo; disparatæ enim sunt hæc propositiones, & ideo habuit scientiam de prima Arist. & simul habuit errorem circa secundam: ergo vna non continetur virtualiter in alia; vnde ex supradictis nullo modo continetur: consequentia illa superior est evidens, quia illud quod nullo modo continet effectum alicuius causæ, non potest ducere causam illius effectus, sed cognitio entis secundum essentiam & unitatem nullo modo continet cognitionem Dei, Angelorum, &c. vt probatum est: ergo non potest producere habitum, qui sit causa cognitionis Dei. Maior sic convincitur, quia omnis causa efficiens mediata alicuius effectus, vel omnis causa efficiens productiva causæ alicuius effectus debet continere effectum mediatum, id est effectum illius causæ, quæ vt effectus oritur à se tam proprie, ac causa illius immediata, avus enim continet nepotē tam proprie, ac pater, & continentia quidem formali quia sunt eiusdem speciei; & lux, quæ producit calorem, continet eminenter effectum caloris à se producti propria, & eminenti continetia, & ratio evidens est quia cum causa mediata tribuat totum suum esse causæ immediatæ, & causa immediata accipiat totum suum esse, quo continet, & potest producere suum effectum, sine dubio ipsa causa mediata tribuet causæ immediatæ illam continentiam effectus, v. g. lux tribuit calori virtutem productivam & contentivam alterius caloris, seu, vt melius loquar, continentiam illius, & avus tribuit Patri continentiam productivam filij, ergo de primo ad vltimum ipsa lux continet etiam calorem productum à calore, qui est effectus ipsius, & avus sine dubio continebit nepotē, quia dedit continentiam patri, media qua producit suum nepotē, vnde causa omnis mediata in se habebit continentiam, quā tribuit causæ immediatæ ad producendum effectum, cuius vniversalissima ratio est principium illud satis tritum, & à nobis supra repetitū, quia nemo dat, quod non habet, & ideo evidenter colligitur aliquam non esse causam mediatam effectivam id est non esse causam causæ, quia non continet effectum causæ immediate, v. g. optime colligitur entitatem A, non esse causam entitatis B, quia non continet, nec est causa entitatis D, optime enim colligitur talem entitatem non posse producere causam immediatam productivam effectus, qui non continetur in causa mediata, alias non esset verum axioma illud quod est causa causæ, est causa causati; tum sic, ergo cognitio entis secundum essentiam, & unitatem, quæ minime continet cognitionem Dei non poterit producere habitum qui continet, & est causa immediata cognitionis Dei.

Secundo confirmatur, scientia & ignorantia 24 opponuntur: sed qui habuit primam demonstrationem Theologicam potest habere ignorantiam aliarum demonstrationum: ergo non acquisivit illarum scientiam.

Dices id verum esse de scientia actuali, non vero de habituali.

Contra, is qui habet scientiam alicuius obiecti circa illud obiectum non habet nec potest habere ignorantiam, sed statim illud cognoscit, & elicit actum scientiæ circa ipsum, sed habens

primam

primam demonstrationem & acquiritur habitum evidentem circa primum obiectum per ipsam potest ignorare multa alia obiecta Theologica: ergo licet habeat primam scientiam, non habet scientiam circa illa obiecta, quae ignorat, nec habitus acquisitus per primam demonstrationem erit habitus ad cetera obiecta, siquidem ad illa errat intellectus, nam dum in intellectu datur habitus scientificus, circa unum obiectum non potest intellectus informatus tali habitu errare circa ipsum.

26 Dices habitum illum acquisitum per primam demonstrationem sufficere, ad hoc ut intellectus operetur sine ignorantia & errore circa omnia obiecta Theologiae, sed multoties non operari circa illa, non quia deficiat tali habitui virtus, sed quia non applicantur, & proponuntur talia obiecta intellectui informato tali habitu, sicut ignis productus per primam generationem sufficit, ad hoc ut comburat, & operetur circa omnem materiam combustibilem, multoties tamen non operari, non quia deficiat illi virtus, sed quia illi non proponitur combustibile, hoc est unicum Thomistarum effugium, & ut ipsi aiunt nostrae felicitatis paladium firmissimum, quae contra omnia aduersariorum tela praesidium.

27 Sed contra illud veteranum, & antiquum effugium hoc nouum confurgit argumentum, quia etiam si aliquis habeat habitum acquisitum per primam demonstrationem circa ens, ut unum, vel ut verum, &c. potest tali habitu informatus, non solum non operari circa aliud distinctum obiectum, v. g. circa hoc, utrum Deus sit vnicus, utrum omnipotentia Dei possit facere aliquid ex nihilo, sed ignorare illud, & quod caput est errare positive circa ipsum etiam si illud obiectum proponatur intellectui tali habitu informato, exempli causa si Aristoteli, qui ut omnes fatentur habuit veram scientiam habitualemente de ente ut sic, proponeretur, & interrogaretur ab eo ut suam sententiam proferret, conficeretque demonstrationem circa haec obiecta utrum Deus sit vnus, utrum Deus possit creare, miserabiliter erraret, ut de facto erravit dicendo Deum non esse unum sed plures, Deum non posse creare, & nihilominus Deus proponebatur, & applicabatur sufficienter intellectui Philosophi informato habitu acquisito per primam demonstrationem cum sua unitate, & omnipotentia in dubitatione, & interrogatione cognoscendo quid sibi interrogaretur, & proponeretur quae vere propria necessaria, & sufficiens propositio erat, ut demonstrationem conficeret circa Deum unicum, & omnipotentem, si veram scientiam habitualemente haberet circa ipsum, quia nihil aliud est proponi obiectum applicateque intellectui, ut circa illud possit operari, nisi obijci illud in dubitatione, & interrogatione petique ab intellectu cui applicatur, & obijcitur, ut circa tale obiectum in quod propositum sententiam proferat, faciatque demonstrationem ad quam habitus quo informatur mens, inclinat illam facilitatque intellectum, & tandem quod intellectus cui tale obiectum obijcitur, percipiat, & cognoscat tale obiectum sibi mediante interrogatione applicatum, & mediante cognitione talis interrogationis videat sibi esse praesens, ut circa illud operetur & haec sola propositio sufficit, imo alia est ficticia ad hoc, & minime necessaria, ut

intellectus vivere habitum habeat circa tale obiectum, faciat veras, & proprias demonstrationes.

Quod evidenter patet, nam si à D. Thom. interrogaremus, utrum Angelus sit infinitus in essentia, & solum hoc modo interrogative & in dubitatione proponeretur illud obiectum sine alia propositione praeter hanc, absque dubio diceret non esse infinitum in essentia, & demonstrationem faceret quam fecit in summa Theologiae, quia habebat scientiam de illo obiecto: ergo habenti scientiam habitualemente de aliquo obiecto sufficit talis modus proponendi illud ut faciat demonstrationes circa ipsum: ergo si Arist. qui certissime habebat scientiam habitualemente acquisitam per primam demonstrationem de ente secundum essentiam, circa Deum eius unitatem, & omnipotentiam, ut obiectum sibi sufficiens, & necessaria applicatione propositum, non solum non operabatur, & conficiebat demonstrationes, sed errabat positive, & actus erroneos efficiebat, evidenter colligitur, quod licet habuerit illam scientiam habitualemente de ente secundum essentiam, unitatem, &c. non habuisset scientiam habitualemente de Deo, quoad eius unitatem, & omnipotentiam, quia si illam haberet circa tale obiectum sibi in quaestione & dubitatione propositum, non erraret, ut erravit, sicut evidenter colligitur habuisse scientiam de hoc obiecto, ens habet essentiam, & aptitudinem ad existendum, ens est unum, verum est ens, quia ipse dicebat certissime, & sine dubio, & sine aliquo errore respondebat, & dicebat, de hoc obiecto in dubitatione proposito ens esse unum & verum esse ens, & ratio erat quam diximus, quia si entia de tali obiecto afficiebatur intellectus Arist. ergo è cõtra si propositum in hac interrogatione Deus potest creare, Deus est vnus solus, errabat dicendo Deum non esse unum solum, non posse creare, signum evidens est, non habuisse scientiam de hoc obiecto, unde etiam evidenter colligitur scientiam de essentia entis non esse scientiam de omnipotentia Dei, nec illam esse sufficientem ad faciendas demonstrationes circa obiectum aliud propositum praeter essentiam entis, quia si illa scientia sufficeret ad aliud obiectum nõ erraret circa illud, quia naturaliter non solum sunt incompatibiles scientia actualis, & error actualis de eodem obiecto; sed etiam scientia habitualemente, & error actualis de eodem, unde impossibile est quod de eodem obiecto, de quo datur scientia habitualemente, detur error actualis, & sic impossibile naturaliter erat ut circa hoc obiectum sic propositum utrum homo sit equus, utrum accidens realiter sit substantia erraret Arist. dicendo homo est equus, substantia est realiter accidens, quia habebat scientiam de illis obiectis, sicut impossibile est ut ignis, qui calidus est, vel aqua etiam licet contra suam naturam sit calida ut frige faciat, vel nihil calefaciat, clarius exemplum, qui habet fidem divinam habitualemente de obiecto Trinitatis, non potest errare, dicendo cum Arrio: Verbum divinum non est Deus, quia si illud diceret, evidenter colligeremus non habere fidem divinam habitualemente de Trinitate, quia stante tali fide habituali, non potest dari error actualis de obiecto eiusdem.

Declaratur hoc in duobus intellectibus, qui habent scientiam acquisitam de unitate, & veritate

Quæst. Vlt. Vtrum sit vna simplex, &c. 75

ritate entis, & si illis proponantur hæc duo obiecta, distinguitur essentia ab existentia creata à parte rei, possibilitas creaturarum est positivum, intellectus Thomisticus diceret existentiam distingui, Scotisticus autem non distingui; vnus possibilitatem esse positivum quid, aliud vero diceret non esse: ex quibus vnus ex illis non solum non operaretur, sed ignoraret, & erraret positive circa tale obiectum sibi propositum, quia evidens est minime posse consistere veritatem in vtraque parte contradictionis: ergo licet ambo habeant scientiam de vno obiecto Theologico, non habent ambo scientiam de existentia & possibilitate, quia cum scientia, vt iam dictum est de vno obiecto non datur error de eodem: ergo iam separantur illi duo habitus scientifici, scientia nimirum de essentia entis à scientia de omnipotentia, & vnicitate Dei, cum existente vna non existat alia in eodem intellectu, vnde non erunt idem, quia quæ separantur realiter distinguuntur; alioqui si ex eo quod vnam demonstrationem haberet circa vnam veritatem, facile esset intellectum demonstrationes omnes acquirere, cum tamen post tot demonstrationes mathematicas non possit hucusque inveniri demonstratio, quadraturæ circuli.

³⁰ Hoc omne convincitur clarissime eisdem exemplis, quibus nostra argumenta eludere nituntur Thomistæ, nam ideo colligimus ignem productum per primam generationem habere virtutem sufficientem non solum ad conburendam stupam, sed etiam lignum vel quancunque aliam materiam combustibilem, quia proposita quancunque ex illis materijs statim conbuitur ab igne, & operatur ignis circa illam: contra vero ideo colligimus evidenter ignem non extendi, nec habere virtutem ad operandum circa cælum, quia etiam licet per totam æternitatem applicetur, vt applicatus est, ignisque immediate positus est in sententia Thomistarum circa cælum lunæ, quancunque magnitudine ille sit, non convenit, nec operatur circa illum, & in potentia visiva ideo colligitur evidenter dari virtutem non solum ad hominem videndum, sed etiam ad leonem, quia propositum quocunque illorum videtur, & percipitur à potentia visiva, & contra colligimus certissime illam potentiam quæ extendebatur ad hominem, & leonem non extendi ad Angelum, & Dæmonem, quia etiam si præsententur, & proponantur Angelus, & Dæmon iuxta ipsam locum potentie visivæ non percipiuntur ab ipsa potentia, sed nobis necessario dicendum est ad hæc obiecta aliam potentiam superiorem requiri, quæ percipiat quod potentia non potest: ergo etiam evidenter colligitur scientiam de ente vt vno, & vero non extendi nec esse sufficientem ad operandum demonstrationes circa Deum vt omnipotentem, & vnum, siquidem proposito illo obiecto intellectus tali habitu informatus non operatur circa illud actus ipsius habitus, nam si aliquid deberet operari essent demonstrationes, quia habitus evidens demonstrativus vt est scientia solum est operativus, & inclinatur intellectum ad demonstrationes, sed tantum abest vt operetur demonstrationes circa illud obiectum, quin potius intellectus cum tali habitu erret positive circa illud, producatque loco demonstrationum errores, imo, vt ita dicam, non possit producere demonstrationes, cum ex frequentatione tot errorum circa omnipotentiam & vnitatem Dei habeat faci-

R.P. Ildph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I,

litatem, & habitum ad errandum circa illud obiectum tanta pertinacia, vt & ipsos errores actuales iudicet demonstrationes, & habitus erroneus videatur ipsi habitus scientificus.

Vergetur, nam sicut per vnam demonstrationem ³¹ Theologicam acquiritur totus habitus Theologicus, & omnes demonstrationes, & ad omnia obiecta Theologia, ita per vnum errorem Theologicum debet acquiri error habitualis circa omnia demonstrationum obiecta Theologica, & esset vnus totalis habitus erroneus, oppositorum enim circa obiecta opposita par est ratio, & habitus oppositi versantur circa idem genus obiecti, sed hoc est falsum; nam habitus erroris circa vnam conclusionem non destruit facilitatem circa alias demonstrationes, vt cum Arist. erravit demonstrando mundi æternitatem, non amisit facilitatem, ad demonstrandam materiam primam, alioqui nullus Philosophus haberet aliquem habitum scientiæ, quia nullus est qui careat aliquo errore in quocunque genere scientiæ, error autem maxime si sit maxime intensus, tollit facilitatem habitus oppositi.

Tertio principaliter probatur, quia si habitus ³² haberet simplicitatem realem sequeretur simul esse ex natura rei duos habitus contrarios in gradu intenso, quod est maximum absurdum, alias albedo, & nigredo in summo gradu possent reperiri in eodem subiecto naturaliter, & vitium incontinentiæ, cum virtute castitatis simul in summo gradu existerent in eadem voluntate, ergo probò antecedens, & demus Ioannem habere scientiam intensam de immortalitate animæ, exempli gratia, aut temperantiam circa cibum, postea habeat errorem intensum de cælorum corruptibilitate aut numero, vel intemperantiam circa aquam, aut circa vinum, qui habitus erroris, & intemperantiæ sunt oppositi scientiæ, & temperantiæ prioribus, & sunt simul in gradu intenso: ergo habitus contrarij in gradu intenso sunt simul ex natura rei: minor patet, quia sæpe contingit aliquem errare circa vnum obiectum cum scientia circa aliud, vt supra dictum est: etenim Philosophi optime sciunt, & evidenterissime esse materiam incorruptibilem, & tamen dissident de cælorum corruptibilitate, & continui compositione, in quo dissidio alteri errant: ergo scientia de anima, & materia prima in gradu intenso componi potest cum errore de cælorum corruptione, & numero. Maior probatur, scientia, & error circa idem, & virtus, & vitium circa idem obiectum opponuntur, sed habitus scientificus de incorruptibilitate materiæ est per se idem cum scientia de cælo, & intemperantia in potu est idem cum intemperantia in cibo, quod si scientia de materia non est realiter scientia de cælo: ergo sunt diversæ scientiæ, & non vna simplex, vel si ad cælum extenditur per aliquid illi realiter additum, debet esse hæc extensio: ergo vt de cælo, & animo, non est realiter simplex, quod si realiter est simplex: ergo sunt realiter scientia, & error simul virtus, & vitium circa idem obiectum in gradibus intensis, ³³

Vltimo principaliter probatur, quia vt ex notabili constat habitus acquisitus in quo distinguitur essentialiter ab habitu per se infuso, v. g. Theologia naturalis est facilitas formalis, qua formaliter facilitatur intellectus ad actus Theologicos producendos, sed in Theologia naturali totali dantur distinctæ realiter facilitates, quæ componunt Theologiam naturalem totalem, di-

K 2 finita

distincta enim facilitas realiter est, quæ datur circa possibilitatem creaturarum, quam ea, quæ datur circa Dei essentiam, & attributa vel circa prædicamenta: ergo sunt distincti realiter habitus, ex quibus componitur vnus habitus totalis, unde Theologia non erit vna simplex qualitas, sed composita: consequentia est evidens, quia idem est realiter habitus Theologiæ, & facilitas Theologica, vt ex 2.^o patet: sed sunt diversæ facilitates realiter: ergo diversi habitus realiter. Minor sic probatur, illa quæ separantur realiter distinguuntur realiter, sed facilitas circa ens separatur realiter à facilitate circa unitatem Dei: ergo distinguuntur realiter; minor sic probatur, quia in intellectu Aristotelis dabatur facilitas, ad demonstrationem conficiendam circa ens, vt vnum, & nulla dabatur facilitas, sed summa difficultas ad faciendam demonstrationem, quæ probaret Deum esse vnicum, quia habebat maximam facilitatem, ad faciendos actus erroneos, vt probatum est circa illud obiectum, cum quibus non compatitur facilitas ad demonstrandum Deum esse vnum, quia ex habitu erroneo sequitur necessario difficultas ad actus scientificos circa idem obiectum, v.g. ex habitu vitij intemperantiæ sequitur necessario, & formaliter dari difficultatem, ac proinde non facilitatem ad actus virtutis temperantiæ circa idem obiectum, quia habitus contrarius formaliter est difficultas circa actus oppositos, v.g. habitus erroneus, circa omnipotentiam Dei est difficultas formaliter ad actus scientificos circa ipsam omnipotentiam; ex qua difficultate sequitur naturaliter non facilitas circa omnipotentiam, sicut quando in vno subiecto datur calor intensus, naturaliter sequitur in eodem subiecto non frigiditas intensa: ergo sicut naturaliter non potest dari in eodem subiecto frigiditas intensa, & calor intensus, nec calefactio intensa, quia ex frigiditate intensa sequitur naturaliter non calefactio, & non calor intensus, cum non calore enim intenso non potest repetiri calor intensus naturaliter, nec supernaturaliter: ergo similiter si in Aristotele dabatur habitus erroneus circa omnipotentiam, sequebatur ex illo habitu erroneo dari difficultatem circa habitum scientificum, imo dari naturaliter non facilitatem circa ipsum obiectum, & non habitum scientificum in eodem intellectu, cum quibus non poterat compati facilitas, & habitus scientificus, respectu eiusdem obiecti, alijs darentur duo habitus contrarii, imo & duæ contradictoriæ simul in eodem intellectu, quod est falsissimum: ergo separabantur realiter in intellectu Aristotelis habitus circa ens vt vnum scientificus; & habitus scientificus circa omnipotentiam Dei.

Item, & confirmatur, quicumque intellectus, qui multos actus fecit circa prædicamenta, & minime se exercuit, aut parum per actus circa essentiam Angelorum, & Dei, habet sine dubio circa prædicamenta facilitatem, non autem circa Angelorum, & Dei essentiam, imo circa hoc habet difficultatem vt experientia constat evidentijs & posita à nobis probari, & patet sic, quia si non haberet difficultatem, sed facilitatem circa secundum obiectum, illa facilitas faciliter intellectum circa illum, quia impossibile est quod detur aliqua forma in aliquo subiecto capaci effectus formalis illius, & quod non tribuat illi suum effectum formalem, sed effectus primarius formalis facilitatis est facilitare, & necessario sequitur ex

illo expellere difficultatem, & intellectus est capax huius effectus formalis circa quodcumque obiectum Theologiæ: ergo si in intellectu est talis facilitas circa Deum, & Angelos, intellectus erit facilis ad demonstrandum circa illos, & nullam habebit difficultatem, quia enim est facilitas circa aliquod obiectum, vt iam diximus, non potest esse oppositum illius, nimirum difficultas circa ipsum, sed quia habet facilitatem circa prædicamenta, v.g. si illa in logica furtive à metaphysica accipit, si non se exercuit per multas demonstrationes, vt minime se exercet logicus circa Deum, & Angelos, evidenter experientia colligitur habere facilitatem circa prædicamenta, & nullam facilitatem habere circa Deum, & Angelos, sed summam difficultatem circa illos, donec in metaphysica illa difficultas expellatur: ergo separantur realiter illæ duæ facilitates.

Dices deficere extensionem illius primæ facilitatis.

Contra, quia illa extensio, quæ additur primæ facilitati est facilitas formaliter, quia posita illa extensione in intellectu, facilitatur intellectus ad demonstrandum circa Deum, sicut per primam qualitatem facilitabatur circa prædicamenta, & est facilitas circa obiectum distinctum à primo: ergo illa quæ vocatur extensio potius est nova facilitas, quam extensio nova antiquæ facilitatis, siquidem est de novo, & est facilitas formaliter, quod autem sit facilitas formalis patet, quia effectus primarius formalis alicuius forme non potest convenire alteri forme, cum de essentia effectus primarij forme sit ipsa forma, & ideo licet extensioni quantitatis conveniat occupare locum, non convenit tamen effectus primarius quantitatis ipsi extensioni, nempe dare molem corporali: sed effectus primarius facilitatis, quæ est habitus, est facilitare intellectum ad faciendas demonstrationes circa aliquod obiectum, circa quod antequam adveniret talis facilitas, non erat facilis intellectus: ergo non potest hic effectus convenire alteri forme, quæ non sit facilitas, quæ est habitus, sed posita illa, quæ vocatur extensio facilitatis in intellectu, facilitatur intellectus ad aliquod obiectum, ad quod ante adventum talis entitatis non erat facilis ille: ergo illa extensio potius facilitas formalis est, quæ habitus est, ad demonstrandum circa Deum, quam extensio habitus, seu facilitatis, quia, vt iam dictum est, extensioni alicuius entitatis minime convenit effectus primarius formalis illius entitatis, quæ extenditur.

Vergetur, quia non est maior ratio quare facilitas circa essentiam Dei, & Angelos sit extensio facilitatis ad prædicamenta, quam hæc illius, cum vna sit independens ab alia, & sint de obiectis completis, quorum vnum potest cognosci sine alio, & latius secunda conclusione probabitur præcipue cum habitus circa prædicamenta aliquando acquiratur prius, quam habitus circa Deum, cum acquiratur ille in logica, hic autem postea in metaphysica, & econtra quando ambo acquiruntur in metaphysica, prius acquiruntur circa Deum, quam habitus circa prædicamenta, quia DD. vt videre est in metaphysica P. Suar. prius tradunt notitiam entis infiniti, quam entium finitorum, quæ sunt in prædicamentis: ergo vnus habitus non est extensio alterius, quia extensio rei, vt videre est in quantitate, non potest esse sine illa, nec dari ante rem cuius est extensio cum sit modus

modus illius, & modus non possit esse sine re cuius est modus adhuc per potentiam Dei abfolutam, quod autem sit nova facilitas realiter distincta à prima, sic probatur; quia intellectus licet habeat primam illam facilitatem circa ens, vt vnum transit de termino negativo intrinseco, cum non se exercuit per multos actus circa Deum, non facilitatis circa ipsum ad terminum intrinsecum positivum facilitatis circa eundem Deum: ergo transit per aliquid additum reale intrinsecum facilitatis, quia non potest dari transitus denegatione ad positivum intrinsecum illius negationis in creatura, vt demonstratum manet in *quest. 25.* relatio distinguitur à suo fundamento, nisi per additum de novo reale positivum distincti à parte rei ab eo super quod additur, ad quod sit transitus à negatione, sed sit transitus de novo à non facilitatē ad facilitatem circa Deum: ergo additur de novo, facilitas circa ipsum per quā destruitur illa non facilitas, quæ antea dabatur: hoc totum evidenter pater, quia sicut quando sit transitus à non intelligere ad intelligere actualiter de novo, additur in illo transitu de novo realiter novum, & reale intelligere, & hoc proculdubio in sententia omnium Theologorum, in qua distinguitur creatura à Deo: ergo similiter in hoc transitu creaturæ à non facilitatē ad facilitatem realiter dabitur de novo facilitas realiter. Tum sic, omnis facilitas est habitus acquisitus: ergo illa facilitas, quæ de novo additur est novus habitus realiter, sed non totalis cum præsupponat iam alium habitum ex quo, & hoc coalescit totalis Theologia: ergo est patti alis: ergo Theologia totalis habet partem, & partem: videte hanc & alias rationes de separatione tractatas *quæst. de diff. relat.* quæ facile possunt ad hanc materiam omnes reduci.

Dices fore facilitatem ad quodcumque obiectum ex habitu primo, si proponantur sufficienter obiecta aliarum demonstrationum.

36 Contra, quia iam ea facilitas non erit ex habitu primo, seu, vt melius loquar, illa non repugnantia, sed ex bona, & evidenti propositione obiecti, quia sicut ille habitus non fuit genitus, & acquisitus circa illo modo propositum obiectum, ita neque ad illud confert facilitatem.

37 Præterea interrogo, quæ propositio obiecti, sit necessaria, an per interrogationem, & dubitationem? an alio modo? si per interrogationem vt supra diximus, sufficit propositio, certissimum est, vt supra probavimus, primum habitum non sufficere, vt circa tali modo propositum obiectum intellectus demonstrat, quod constat ex supra dictis prima confirmatione primæ rationis.

Si dicas illam non sufficere per interrogationem, sed alio modo proponi obiectum.

38 Contra: ergo non habet habitum scientificum circa hoc obiectum, quia qui habet scientiam de aliquo obiecto, statim ac sibi per interrogationem & dubitationem proponitur aliqua veritas, & querenti quid sentiat de tali veritate, si sapiens sit, & habeat verum habitum scientificum statim resolvit illud dubium, & facit demonstrationem circa illud obiectum, vt in exemplis Aristotelis & D. Thom. supra satis demonstratum manet.

39 Dices necessarium esse, vt obiectum proponatur per demonstrationem, vt qui habuit primum habitum, assentiatur tali obiecto.

Sed contra, quia ad assentiendum obiecto proposito, per actuale demonstrationem non est necessarius habitus, sed statim convincitur intellectus ex vi formæ, & materiæ demonstrationis, & necessitatur vt tali obiecto assensum præbeat, vt videre est latissime in logica, *q. de necess. intellectus*, suppositis præmissis, & nunc sic clare patet, nam ante omnem habitum acquisitum præsupponitur demonstratio actualis, cum talis habitus per illam demonstrationem generetur, & tunc ante omnem habitum, posita prima demonstratione, intellectus assentiatur obiecto illius, nam si non assentiretur, non acquireretur habitus scientificus evidens, qui necessario debet acquiri per assensum evidentem in demonstratione, vt omnes fatentur: ergo non est necessarius habitus scientificus, ad assentiendum obiecto alienæ demonstrationis, sed requiritur vt ab ipso habente illum fiant demonstrationes circa obiectum dubitatum, seu in dubio, aut interrogatione propositum, & ideo demonstrativus vocatur, unde falsa est ratio Adversariorum.

Dices potentiam productam per primam emanationem, v. g. intellectum eundem numero sufficere, ad omnia obiecta etiam licet detur difficultas circa illa, vnde ex eo quod detur nova difficultas circa ali quod obiectum, non dicimus necessariam esse aliam potentiam novam, ad vincendam illam novam difficultatem: ergo idem dicendum est de habitu primo, seu prima facilitatē acquisita per primam demonstrationem.

Contra, quia maximum discrimen datur inter 40 potentiam & habitum acquisitum, vnde non valet ab illa ad hunc argumentari, nam cum potentia non sit facilitas formalis, non est formaliter ad vincendam difficultatem circa aliquod obiectum, sed est ad posse simpliciter facere sit vel non sit cum facilitatē, aut difficultatē, & sic est ad vincendam impotentiam, quare licet detur difficultas circa obiectum, dum tamen non deficit posse circa illud, sed datur simpliciter posse ad ipsum, quæ est ratio formalis potentia, non est necessaria alia potentia ad illud; si autem post aliquod obiectum propositum, & operationem circa illud, v. g. in homine, qui proponitur potentia visiva, vt videatur ab ipsa proponeretur aliud obiectum circa quod non posset operari potentia visiva, nec vilo modo daretur posse ad illud, vt supra in exemplo Angeli, & Dæmonis videtur clare, evidenter colligeretur in eo casu necessariam esse aliam potentiam quia circa illud obiectum non potest, ne faciliter, nec difficulter operari, prima quia iam deficit vis & posse absolute in illa potentia ad illud obiectum media sua operatione attingendum.

Tum sic, tota & adæquata ratio habitus acquisiti consistit in formali facilitatē, sicut tota ratio potentia in posse, sed quando datur non posse circa aliquod obiectum in subiecto habente primam potentiam est necessaria alia potentia ad operandum circa illud, quia in prima non datur posse respectu illius: ergo similiter si stante primo habitu, & prima facilitatē datur circa aliud obiectum non facilitas, & difficultas, erit necessarius alius habitus seu facilitas, quæ tollat illam non facilitatem, & difficultatem circa illud, quia difficultas, & non facilitas tollitur per facilitatem formaliter, sicut non posse per potentiam: ergo licet quando datur difficultas ad operandum in aliquo subiecto, dum tamen datur posse simpli-

citer circa illud obiectum, non requiratur nova potentia, quia iam datur ratio formalis potentiae respectu illius, quae consistit in posse, nihilominus necessarius erit novus habitus, & nova facilitas, quando stante prima facilitate datur non facilitas, & nova difficultas, & prima non sufficit ad vincendam illam de novo difficultatem, quia potentia bene potest esse, & compati naturaliter sine facilitate cum difficultate; facilitas autem formalis cum difficultate, & non facilitate circa idem non compatitur, quia opponuntur immediate in suis rationibus formalibus, quod non habet potentia respectu difficultatis, sicut vita bene compatitur cum infirmitate, salus autem non compatitur cum illa.

⁴⁰ Item exemplum potentiae, & etiam habituum per se infusorum nihil urget, nam habitus acquisiti quia generantur ex actibus, sequuntur limitationem actuum, & illis adaequantur propter rationem supra dictam, quia autem actus non se extendunt ad omnia obiecta, sed ad unum tantum, idcirco etiam habitus ex illis geniti eandem limitationem habent, quia totum suum esse accipiunt ab actibus; habitus vero per se infusi, & potentiae, cum non generentur per actus, non limitantur ad limitationem actuum, sed habent à Deo suum esse, per quendam actum quasi universalem, & aliquomodo illimitatum, & sic habent etiam esse quasi illimitatum, respondens multis actibus & obiectis, & æquivalens multis habitibus acquisitis, & cum sint primae rationes, à quibus omnes actus participant esse, habent universalius obiectum quam ipsi actus, qui sunt participationes potentialium, & habituum per se infusorum, sicut omnipotentia Dei est universalius, & habet universalius obiectum, quam ceterae potentiae creatae, quia omnes illae adhuc quatenus tot sunt, & tam variae sunt participationes illius, & ipsa est prima ratio, à qua omne esse potentiae participatur, in habitibus enim acquisitis contraria est ratio, & sic quia potius habitus sunt participationes actuum, quam actus habituum.

SECTIO IV.

Secunda conclusio profertur.

⁴¹ **S**ecunda conclusio; 1. facilitas Theologica non componitur ex re, & modis: conclusio hæc est contra P. Vasquez, probatur.

Primo, quia modus, ut modus in ea ratione, quae formaliter talis est, nihil habet potentialitatis, seu actus primi, quia totum esse modi consistit in actualitate, sed facilitas secunda producta per primam demonstrationem essentialiter est actus primus, & potentialitas ad producendum, & minime consistit in actualitate: ergo non est modus primae facilitatis: maior est evidens ut inductione patet.

⁴² Vnio enim quia modus est, nihil habet potentialitatis ad uniendum, sed tota, & adaequate est ratio actualiter uniendi, & dependentia non est ad posse dependere, sed ad hoc, ut aliquid actualiter dependeat, sicut actio minime est productiva, sed ipsum formale, & actuale producere, & idem est de ubi respectu locati, & inherencia respectu accidentis, imo si omnes modi, qui à parte rei sunt, numerentur, & concipiantur secundum

id ad quod, primo habent esse productum, reperiemus sine dubio consistere in actualitate sine ulla potentialitate.

Ratio evidens huius à priori est, quia cum modus essentialiter sit ratio ultimo determinandi rem, & per quam ultimo tollitur indifferentia rei in illo genere, necessario sequitur ut in ipso nihil habeat potentialitatis, quia alias non esset ultimo determinans rem, nam ipse modus indigeret in illa ratione potentialitatis alio ulteriori determinante, & à potentialitate ad actualitatem ultimam reducende, ut supra prima conclusione demonstravimus: ergo sicut ipsa res non dicitur ultimo determinata per se, quia in se habet potentialitalem limitatam ratione cuius determinatur per modum, etiam ipse modus non esset ultima ratio in illo genere, quia ultra talem modum progreditur ad alium, ultra ultimum enim non potest progredi, & ideo in omnium sententia terminus rei, non est res alia, sed modus ipsius, ut punctum respectu lineae, substantia respectu naturae, & inherencia respectu accidentis, quia cum terminus debeat esse ultimum intra quod omnia primi extra quod nihil est accipere primi, ut in metaphysica definit Aristoteles, & modus ex sua natura sit ultimum rei, quod non habet ipsa res, ideo terminus rei est modus eius, quare dixit S. Thom. 1. contra gentes, per modum finiri, terminari ad ultimumque reduci rem, & hac de causa metaphysica, & formaliter sumpta ipsa differentia individualis vocatur modus speciei, quae est ultima ratio per quam determinatur species; ex quo evidenter colligitur illam maiorem esse veram, nimirum modum in ea ratione formali qua talis est, totum in actualitate consistere, & minime in potentialitate respectu illius muneris ad quod primo instituitur à natura modus, ita ut si est modus ad operandum non sit operativum, seu virtus ad operandum, sed ipsa potius actualis & formalis operatio, sicut modus uniendi non est unitivum, sed unio formaliter.

⁴⁴ Urgetur, quia modus est ratio formalis exercendi, vel qua actualiter exercetur potentialitas rei: ergo modus rei est actuale exercitium qua reducitur res, & determinatur à potentialitate ad actum, sed actuale exercitium, & actualis formalis reductio ad actualitatem, non potest fieri per potentialitatem, quia nemo dat quod non habet, & hæc eadem potentialitas indigeret alio actuante, unde procederet in infinitum; ergo modus qui est ipsum exercitium, & ratio formalis actuandi potentialitatem rei non in potentialitate, sed in ultima actualitate debet consistere, maior patet clarissime ex exemplis positis in unione, quae actualiter exercet potentialitatem in vniibilium, & in praesentia, seu actione quae actuante potentialitatem tam agentis, quam locabilis.

⁴⁵ Confirmatur, quia est duplex ens, aliud tale per suam essentiam, à qua habet quod alia habent ab ipso, aliud per participationem ab illo, quod non est tale per suam entitatem, & essentiam, sed in tali esse constituitur per aliud à se distinctum realiter, & ab hoc ente, ad primum deveniendum est necessario & sistendum in eo, sine ulteriori progressu, cum hoc tamen discrimine reperitur utrumque, nam illud quod est tale per suam essentiam, nullam habet potentialitatem in suis praedicatis essentialibus respectu sui, in eo quo est ens per essentiam, aliud autem, quod est per participationem ab alio, & non per suam entitatem habet poten

potentialitatem: exemplum totius sit, creaturæ enim sunt ens per participationem, à quibus veniendum est ad Deum, à quo acceperunt esse, Deus autem per essentiam est ens alioquin abiretur sine fine in causas entis creati, unde necessario sequitur quod in Deo idem sit esse actus, & sua essentia, & posse esse, unde in sententia omnium, actualitas est ipsa essentia Dei; imo impossibile est quod intrinsecè, & quoad entitatem propriam summa, ac divina maiestas habeat aliquid actus, & aliquid in potentia, sed necessario omnia debet habere actus, quæ potest habere intrinsecè, ex quo proflexit axioma illud inter Theologos: in divinis idem est posse ac esse, unde Deus totus in actualitate consistit. Tunc sic modus, v.g. dependentia in genere cause formalis est talis per sua prædicata essentialia, quia non habet hoc per participationem ab alio in illo genere causæ; unde non dependet per aliam dependentiam, nec est dependentia per aliud esse, ergo nullam habet in hoc potentialitatem, sed tota consistit in actualitate, & ideo impossibile est quod detur proprie, & vere realis dependentia, & non constituitur actualiter dependens, sed potens dependere.

46. Contra, quia albedo non est per suam essentiam unita, sed per participationem ab unitone potest habere potentialitatem in hoc genere, cum est separata realiter, quod minime potest habere ipsa unitio, quia participat ratione uniti, quia seipsa est unita, cum sit ipsa unitio, & non per aliam unitonem, ac proinde minime potest existendo actualiter habere potentialitatem uniti, quod aperte dixit Arist. 3. met. c. 10. loquens de actione, quodque clarissime confirmat D. Thom. super eundem librum lect. 10.

47. Minor præcipua sic probatur ex verbis clarissimis Arist. lib. 5. met. cap. 20. qui postquam definit habitum, ut supra habitus est dispositio, &c. hæc verba subdit: item habitus dicitur si particula talis dispositionis sit, quare partium quoque virtus quædam habitus est; hæc ille, cum enim dixisset habitum esse dispositionem, nempe ordinem habentis partes ne videretur à ratione habitus ipsas qualitates simplices, ex quibus totalis habitus coalescit excludere, quantum ordinem dixit esse habitum, addit statim prædicta verba, quare partium quoque virtus, &c. quibus aperte denotaret unamquamque etiam partem huius habitus esse habitum, inquit autem virtutem partium habitum esse, hoc est vim cuiuscunque partis per se etiam habitum appellari, & ita ex sententia Aristotelis sicut non tantum sanitas est habitus, sed etiam calor, & frigus, & alia qualitates per se, quibus constat bona corporis habitudo, & temperamentum quod dicitur sanitas, sic similiter non solum tota scientia, sed quæcunque pars illius est habitus. Tum sic: ipse P. Vasquez, qui adducit hanc explicationem prima 2. disp. 78. sic ait his verbis vim autem cuiuscunque partis habitum nimirum vocat virtutem græce *Arety*, non vñ habet antiqua translatio bonitatem, sed potentiam; nam quamvis Græca illa vox, *Arety*, significet virtutem moris, tamen interdum idem est quod *Dynamis*, hoc est potentia seu vis, sic ille, ex quibus sic argumentor ex verbis ipsius Arist. ait; Vasquez, colligitur non solum totalem habitum, v.g. totalem metaphysicam esse habitum proprie, sed etiam quancunque partem

illius habitus, & quancunque facilitatem componentem habitum totalem; sed in sententia P. Vasquez componitur totalis habitus ex prima secunda, & tertia facilitate, ergo non solum prima sed secunda, & tertia, & reliquæ facilitates ex quibus componitur Theologia totalis sunt proprie habitus, atqui in sententia Arist. ut ipse P. Vasquez asserit, illa pars quæ habitus dicitur, ut nomen *Arety*, quo significatur sonat, est vis, virtus, seu potentia: ergo non solum totalis habitus sed prima secunda, & tertia pars, imo & reliquæ, ex quibus totalis habitus coalescit, erunt vis, virtus, seu potentia ad operandum, unde secunda facilitas, imo & reliquæ non consistent in actualitate, sed in potentialitate ad operandum, unde non erunt modi sed res.

Item quia ipse Author tam 1. part. disp. 41. & 48. 42. agens de lumine gloriæ, quam 3. part. agens de habitibus infusis animæ Christi, ait, habitum esse virtutem, & potentialitatem seu principium videndi, & operandi, & præcipue 1. 4. disp. 83. agens de habitibus acquisitis, ait habitum dari ad hoc, ut sit vis, & virtus productiva, non solum quoad facilitatem quæ reperitur in potentia, sed etiam actus quoad facilitatem ipsius ad principium productivum, vis, virtus, & potentia ad producendum non sunt actuales productiones, neque consistent in actualitate, sed in potentialitate producendi, quod clarissimis verbis expressit D. Aug. lib. de bono coniugal. cap. 21. vbi sic ait, ipse enim est habitus, quo aliquid agitur, cum opus est, cum aut non agitur potest agi, sed non est opus, quod patet auctoritate Arist. 6. Ethic. c. 4. vbi dividit habitum in activum, & factivum, & ideo, ait Comment. 3. de anima com. 18. habitibus utimur cum volumus, quæ omnia confirmantur à D. Th. 1. part. disp. 4. q. 12. art. 5. in corpore, & in responsione ad 1. vbi ait, habitum esse, quo intellectus fit potens, ad intelligendum, quod experientia patet manifeste, in qua fundatur omnium Philosophorum sententia asserens habitum intelligendi non esse actuale intellectum, sed virtutem seu facilitatem habitantem intellectum ad intelligendum, & habitum in voluntate non esse ipsam volitionem, seu potius pondus quod inclinat ad volendum: ergo habitus in intellectu, v.g. est virtus, potentialitas ad intelligendum, & similiter in voluntate, unde habitus voluntatis, non sunt actualitates volendi, seu volitiones, alias mereremur, & demereremur per habitus, & vitium esset actuale peccatum.

Item, quia dum dormiunt homines, non datur 49. operatio Theologica, nec Philosophica, & datur habitus Theologiæ, & Philosophiæ: ergo evidenter ex dictis colligitur habitum consistere non in actualitate operandi, sed in potentialitate, sed in sententia Arist. & ex verbis P. Vasquez constat secundam, & tertiam partem habitus esse habitus formaliter: ergo secunda, tertia, & quarta, &c. non consistent in actualitate, sed in potentialitate: ergo non sunt modi sed res.

Secundo sic probatur principaliter, quia modus rei dando se illi per suum esse, constituit rem actuatam, sed secunda facilitas non actuat, nec addit actuatam primam facilitatem: ergo secunda facilitas non est modus: prima maior clara est, primo, quia modus rei est affectio ipsius, sed affectio est, ut actu & per suam ipsam entitatem, & perficiat rem cuius affectio est, ut videtur

hæc

licet in substantia quæ afficit, & quia afficit, actuatur, & perficit naturam: ergo secundo; nam cum modus, ut cum præcedenti ratione probavimus, totus sit actualitas rei, & consistat essentialiter in actualitate, ut ratio formalis actuandi, necessarium est quod dando se ipsum det illi actualitatem, & reddat rem esse actuatam, quia forma dando seipsam dat suum effectum formalem primum, sed effectus formalis primarius rationis formalis actuandi est reddere rem actuatam, sicut albedinis album, & potentialitatis potentiale, ergo. Minor sic probatur, tam actuatur actualiter aliqua forma, quando ipsa forma in ea ratione est actualitas, sicut albedo facit album, sed iam probatum est, quod nulla facilitas, nec habitus sit actualitas in illo genere, sed principium productivum: ergo non potest reddere actuatam primam facilitatem, quia alias tribueret forma formaliter quod in se formaliter non habet, imo oppositum illius, quod habet formaliter, quia cum sit potentialitas potius redderet potentialitatem, quam actualitatem, alias frigiditas redderet calidum.

51 Vergetur, quia modus quatenus affectio, tribuit effectum formalem rei cuius affectio est: sed modus facilitatis qui à Patre Vasquez ponitur, nullum effectum formalem tribuit, ut patebit ex dicendis: ergo non est affectio, nec modus primæ facilitatis illa secunda facilitas.

52 Confirmatur, quia illud quod non habet potentiam ad aliquid non potest per aliquem modum actuari, & determinari ad illud, quia omnis actuatio ad aliquid est potentia præsupposita respectu illius, ad quod actuatur; patet hoc evidenter, intellectio non potest actuare potentiam visivam ad intelligendum, & actus voluntatis non potest actuare intellectum ad amandum, quia in illis nulla datur, aut præsupponitur potentia ad id quod actuaretur per intellectum, & volitionem, & subsistentia non potest actuare, & determinare accidens, nec unio ens per se completum, quia in illis non præsupponitur potentiam vel ad subsistendum, vel ad componendum per se, sed prima facilitas nullam habet potentiam ad obiectum, ad quod actuaretur per secundam facilitatem: ergo secunda facilitas non est modus primæ. Hæc minor iam demonstrata manet tota conclusione prima præcipue ratione prima & confirmatione illius, quia prima facilitas adæquate tendit in obiectum actus per quem producit: sed actus per quem producit prima facilitas non tendit in obiectum secundæ: ergo non habet potentiam ad id ad quod actuaretur per secundam, quia omnis potentia tendit, ut in obiectum per relationem transcendentalem in illud, respectu cuius est potentia.

53 Declaratur amplius id ipsum, quia modus rei subiectatur tanquam actus in potentia in re cuius modus est, vel in hæsi, vel adhæsi, sed secunda facilitas nullo modo subiectatur in prima facilitate tanquam actus in potentia: ergo, maior sola inductione evidens est; unio enim respicit materiam, & formam unam tanquam subiectum in hæsi, alteram ut adhæsi, & actio terminum, ubi autem in hæsi in locato, & sic de cæteris: minor sic probatur primo, quia secunda facilitas est pars per quam habitus totalis extenditur ad alia obiecta ac extendebatur per pri-

mam; ideo enim ponitur à P. Vasquez quia per primam non potest extendi habitus realiter ad omnia obiecta, sed una pars extensionis non recipitur, nec subiectatur in alia, ut videre est in una parte extensionis quantitatis, quæ non subiectatur in altera, & in parte etiam extensionis qualitatis albedinis, v. g. quæ minime subiectatur in alia parte albedinis, quia hoc potius esset intendi primam qualitatem, quam extendi totam, quia, ut patet ex lib. degenerat, in hoc distinguitur intentio ab extensione, quod in intentione unus gradus qualitatis advenit alteri, in extensione autem una pars qualitatis non advenit alteri ipsam perficiens, & quasi informans; sed secunda facilitas in omnium sententia non est ad intendendam primam facilitatem, sed ad extendendum habitum totalem ad varia obiecta: ergo secunda facilitas non subiectatur in prima: secundo probatur minor, quia omnis modus, qui est actus alicuius rei tribuit suum effectum formalem rei, cuius est modus: sed facilitas circa Deum non communicat suum effectum formalem habitui, vel facilitati circa ens, quia effectus formalis facilitatis, est facilitare, & reddere facilem rem, cui tribuit illum, sed facilitas non facilitatur per aliam facilitatem, sicut nec albedo fit alba per aliam albedinem, nec unio fit unita per aliam unionem, & lux non illuminatur per aliam lucem, quia daretur processus in infinitum, atqui prima facilitas est vere, & proprie facilitas: ergo prima facilitas, non redditur facilis, nec facilitatur per secundam facilitatem, quia habitus non est facilis, sicut personalitas non est persona, sed est ratio formalis reddens potentiam facilem; potentia autem redditur facilis immediate recipiendo in se facilitatem, sicut paries redditur albus recipiendo albedinem.

Nec potest dici illum modum inherere potentia, & afficere habitum primum.

Primo, quia etiam si afficeret habitum deberet tribuere suum effectum formalem illi, cuius affectio est, sed secunda facilitas nullum tribuit effectum formalem primæ: ergo licet in hæsi potentia minime afficit habitum primum, seu primam facilitatem: secundo quia nullus modus præter unionem & actum afficit unum, & in hæsi alteri, nec opus est tali efficientia circa habitum, quia facilitas solam potentiam reddit facilem, & denominat talem, & non habitum; unde habitus incapax est talis affectionis, & unionis ad illam, quia incapax est, ut iam probavimus, effectus formalis illius: ergo secunda facilitas non est forma primæ facilitatis, nec adhæsi, nec in hæsi.

Tandem confirmatur, quia cognitio quæ producit tendens in Deum non procedit à prima facilitate, quæ tendit in ens: ergo secunda facilitas non modificat primam, quia si modificaret illam, cognitio quæ oritur Dei à secunda facilitate modificante primam tribueretur primæ, & oriretur ab illa: Antecedens sic probatur, quia facilitas circa ens, quæ est prima non potest producere actum extra suum obiectum adæquatum, quomodocunque modificetur, ut v. g. potentia visiva quomodocunque modificetur, & afficiatur, non potest tendere extra visibile, quod est obiectum adæquatum illius, & intellectus non potest versari extra intelligibile, quomodocunque afficiatur propter rationem dictam: ergo prima

prima facilitas non potest producere cognitionem, quæ vagetur extra ens, quod est obiectum adæquatum illius, versando circa Deum: consequentia est clara, quia occupatio maioris loci, quæ provenit ab extensione, tribuitur ut quod quantitati extensæ, & modificatæ per extensionem & similiter excitati modificatæ, per actum nimirum entitati agentis tribuitur effectus qui producitur à tali actione modificante entitatem dictam, & ratio à priori evidens est, quia talis modus, seu affectio est rei cuius modus est; imò totum quod habet, habet propter illam rem, sed talis modus habet defectum productum ab illa: ergo talis effectus est propter rem modificatam: ergo debet tribui rei modificatæ: ergo si secunda facilitas modificat primam, effectus secundæ facilitatis modificantis illam v.g. cognitio Dei, & Angelorum, provenit à primâ.

55 Tercio principaliter probatur, quia modus ita dependet essentialiter à re cuius est modus, ut nec per potentiam Dei absolutam possit esse sine illa re cuius modus est, sed secunda, tertia, quarta, & vltima facilitas naturaliter esse possunt sine prima, & prima sine illis: ergo tales facilitates non sunt modi primæ. Minor probatur, quod prima possit esse sine cæteris patet ut supra demonstratum manet in Aristotele, quod autem cæteræ possint esse sine prima separatæ manifeste, ac evidenter demonstratū est iam in oppugnatione solutionis contra vltimam principalem rationem, nam facilitas circa univerialia, vel circa prædicamenta, quæ propria metaphysica est, quando acquiritur in logica acquiritur ante quam detur facilitas circa ens, ut vnum, item vltima facilitas metaphysica est circa ens rationis & fæctive sepius acquiritur in principio logicæ, ubi nulla mentio fit Dei, & Angelorum, & acquiritur etiam ante prædicamenta, cum in metaphysica deberet acquiri, post prædicamentorum acquisitionem, & qui nunquam studuit metaphysicæ, & studet Theologiæ scholasticæ, acquirit facilitatem circa Deum, & Angelos, non solum per mediâ revelatâ à Deo, quæ sunt principia Theologiæ scholasticæ, sed etiam per principia naturali lumine cognita, v.g. à posteriori per creaturas, ut asserit Paulus, invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, virtus, & divinitas innittendo principio illi metaphysico, quicquid producitur, ab alio producitur, cum antea minime habuerit facilitatem circa ens secundum essentiam, unitatem, veritatem, & bonitatem: ergo separantur iam realiter posteriores facilitates metaphysicæ à priori.

56 Maior adde evidens est, ut sit adæquatum signum distinctionis modi à re, imò nec à priori, nec à posteriori datur aliud evidenti, & quod non possit probabiliter negari ad cognoscendum aliquam entitatem esse modum, & non rem, nisi ex eo quod non possit separari à re cuius est, & ideo colligimus necessario secundum fidem catholicam quantitatem non esse modum substantiæ, quia de facto separatur per miraculum à substantia panis in consecratione hostiæ, & ratio huius inseparabilitatis modi à re est, quia essentia illius consistit in actuali affectione rei, actualis autem affectio non potest esse sine eo quod actu afficiat, aut esse, aut concipi, & ideo ait Magnus Suarez, in sententiâ omnium disput. 11, me, quod sit mente intelligibile, quod modus possit separari à re, & separatus existere, & ipse R. P. Ioseph de Peña, Theol. Schol. Tom. 1.

P. Vasq. 1. part. tom. 2. disp. 120. c. 3. n. 15. explicans verba D. Damasceni sic ait: Quamvis modus rei ante omnem intellectum diversam essentiam, & naturam habeat à re ipsa, at modus rei ita dependet ab eo cuius est, ut essentia, & natura suæ conveniat directe, ut non possit sine re cuius est modus, nec actu esse, nec intelligi, & sic non sunt modi sicut accidens nempe qualitas, aut quantitas, hæc namque formæ habent naturam absolutam quæ possit manere abique eo cuius est qualitas, ut videmus in accidentibus altaris, sic ille, quæ verba adducit in sententiâ Durandi, & approbat ea, 1. part. q. disp. 116. c. 6. num. 2. his verbis confirmat; non negamus esse latitudinem in ipsa reali distinctione, nam quædam realiter differunt, ut duæ res, quarum, quælibet potest esse per se sine alia, quædam, ut res, & modus, quorum alterum scilicet modus sine alio esse nequit, quod adeo verum est, ut nullus huic doctrinæ contradicat, qui vel leviter sapientia tinctus sit, quare ut indubitatum recipitur à DD. & ideo communiter hac definitione solet definiti modus, modus est, qui nec divinitus potest esse sine re cuius est modus, quis enim potest concipere sessionem, sine sedente, inhærentiam sine accidenti, figuram sine quantitate.

Confirmatur, quia tota ratio habitus sumitur ab obiectis, tanquam ab specificativis, & ab actibus tanquam à causis efficientibus, sed obiectum habitus circa Deum, & habitus circa Angelos, qui habitus sunt secunda facilitas est Deus ipse, & Angelus, qui minime sunt modi obiecti habitus circa ens: ergo nec facilitas huius obiecti erit modus alterius facilitatis, præcipue eū facilitas circa Deū, & Angelos, sit essentialiter perfectior facilitate circa ens, atqui modus aliquis non potest esse perfectior essentialiter rei, cuius est modus naturalis, quis enim dicat unionem substantialem, quæ est modus animæ rationalis esse perfectiorem essentialiter ipsa animæ, aut quis allerat vocationem Angeli esse perfectiorem essentialiter substantia ipsius Angelis, modus enim est entis ens, & dependet essentialiter adæquate à re cuius est modus, & sic debet esse imperfectior essentialiter re: ergo facilitas secunda quæ est perfectior prima, ut in exemplis positis patet, non est modus primæ; deinde actus secundæ facilitatis, à quo habet suam entitatem ut diximus, v.g. cognitio circa Deum, tantam vim habet ad producendam entitatem absolutam habitus, quam cognitio circa ens, imò maiorem vim habet quia perfectior est ipsa cognitione circa ens: ergo vel omnes actus producant modos vel omnes producant res, imò etiam si omnes producant modos, cognitio solum Dei propter suam maiorem perfectionem producat res.

58 Vltimo oppugno P. Vasquez, cum D. Hurtad. sic, ad quod pono cum ipso voluntatem non versari circa obiecta formalia abstracta, sed concreta cum materialibus, v.g. voluntas exercens religionem semper illam exercet circa aliquod obiectum particulare vivendi, aut orandi, quod ipse P. Vasquez admittit. Tunc sic habitus, ut versatur circa orationem, non potest esse modus habitus versantis circa votum; ergo quando augetur habitus votendi, non augetur per aliquem modum versantem circa orationem. Consequentia est certa; antecedens probatur, quia non est cur habitus circa orationem sit modus efficiens ha-

Bitum

SECTIO V.

Ultima conclusio exponitur.

Vltima conclusio: Theologia naturalis totalis est qualitas composita physice, ita ut partes ex quibus componitur, uniantur inter se propria & physica vnione.

Probatum primo, si aliqua esset repugnantia, 62 quare non daretur vnio physica & propria inter partes Theologiae, maxime quam aduersarij asserunt, nempe quod entitati spirituali receptae in subiecto indivisibili repugnet continuatio, & vnio physica inter partes extensionis, quae integrales vocantur, sed hoc principium est omnino falsum: ergo falsum est negare talem vnionem continuationis; maior est ipsa aduersarij sententia, ut ex primo & praecipuo argumento P. Suarez quo innituntur omnes ipsum sequentes, & ipsum in hac materia transcribentes, patet, ut videre est in P. Hurtado *disp. 16. de anima sect. 4.* minor praecipua sic probatur clare contra omnes aduersarios, nam ipsi nullo dempto fatentur, ut videre est in P. Suarez, *qui, tom. de Angelis lib. 4. cap. 20.* dari motum in Angelo vere, & proprie successivum, & continuum localem his verbis asserit: dico ergo primum Angelum moveri posse localiter successione continua, haec assertio ab omnibus iam recepta est, sic ille; citatque pro ea opinione pene omnes DD. ut in ipso videre licet, & explicans ipse P. Paulo ante in notabili, an sit, vere, & proprie continuus motus hic, sic ait; continuum motum simpliciter appellavimus in Angelo illum, qui in sua duratione intrinseca habet continuam successione, & hoc meo videri probat evidenter, sine dubio hanc sententiam tenet etiam in *metaphysica disp. 30. sect. 7. num. 49. disp. 40. sect. 8. num. 11. & 3. tom. 3. part. disp. 48.* etiam viribus, & posse eam asserit Hurtado. in *met. disp. 12. sect. 6. num. 61.* ubi sic ait, Angelicus Doctor ait Angelos latrone continua discreta moveri, quando vero Angelus movetur continue medium pertransit successive ad modum, quo corpora; motus autem iste successivus plures partes includit in ordine ad spatia proportionalia, idem tenet Fonseca, & Connimb. sed aperte eam defendit, D. Thom. 1. *part. quest. 53. art. 1. ad primum, & art. 2. in corpore*, ubi ait motum Angeli esse proprie continuum, & comparat illum lineae his verbis, sed continuitas motus hoc impedit, quia nullum continuum est in termino suo, ut patet, quia linea non est in puncto, quod aperte demonstratur exemplo Angeli deferentis Prophetam Abacuc in Babilonem, nam Prophetam, vere & proprie continue successive, & sine aliqua interruptione movebatur, sed simul eodem tenore movebatur Angelus, quia in omni motu dependebat Prophetam ab illo: ergo Angelus etiam movebatur vero, proprio, successivo, atque continuo motu. 63

Tunc sic, ex his omnibus clarissimum argumentum deduco, nam motus localis Angeli totalis est vere, & proprie spiritualis, quod omnes DD. sine controversia asserunt, & sic demonstratur manifeste, quia motus ex Arist. 9. *met. & 3. Phys. cap. 3.* est in mobili, quod his verbis asserit Philosophus; perspicuum est motum esse in eo, quod movetur; ergo est in Angelo, qui Angelus

bitum circa votum potius, quam e converso; nam sicut voluntas se primo exercuit circa votum, potuit etiam se primo exercere circa orationem, & quando habitus circa orationem augetur, circa votum non augetur per modum aliquem, sed per eundem habitum, circa votum quem acquisivit, quando se primo exercuit circa votum, nec enim refert quod se exerceat prius circa vnum obiectum quam circa aliud ad hoc ut habitus sit res, vel modus; nam habitus circa obiectum primum est res: ergo & habitus circa secundum est res, & non modus: patet consequentia, quia ille primus acquisitus est per actum circa votum, per quos vicit difficultatem votendi, sed habitus circa orationem etiam fit per actum circa illam tollens difficultatem orandi: ergo etiam habitus orandi est res, & non modus, quia illi habitus tantam vim habent ad producendam entitatem absolutam habitus quam ceteri actus.

59 Confirmatur, quia postquam potentia se exercuit circa vnum obiectum, manet facilis ad illud obiectum, & non manet facilis, sed potius difficilis ad alterum obiectum; deinde illa difficultas, seu non facilitas tollitur usu, ergo id quod addit habitui priori, est formaliter habitus; nam omnis facilitas inclinans ad actum similes his quibus comparata est, est habitus; sed id, quod acquiritur de novo est nova facilitas ad actum similes inclinans: ergo est novus habitus. Maior est evidens, quia est ipsa definitio habitus; minor patet, quia id quod acquiritur tollit seipso in genere causae formalis difficultatem ad actum, & reddit potentiam facilem, hoc autem est esse facilitatem: ergo maior patet, quia ante exercitium circa 2. obiectum erat potentia difficilis, post exercitium est facilis, ergo sublata est difficultas, non formaliter per ipsos actus, alioquin nullus alius habitus esset necessarius: ergo per facilitatem relictam ex actibus, ergo per habitum: ergo per rem, & non per modum, quia habitus res est, & non modus rei.

60 Dices, priorem habitum, ut esset facilitas circa secundum obiectum, non egere nisi illo novo modo.

Sed contra hoc sic optime instat primo Hurtado, nam aut habitus est formaliter facilitas, aut non; si primum: ergo ut reddat potentiam facilem, non eget alio modo praeter vnionem, ut albedo, ad hoc ut reddat album; si secundum: ergo quod advenit novae, est formaliter facilitas: ergo habitus formaliter; secundo si est facilitas: ergo seipsa est potentia facilis per illam: ergo non eget alio habitu, sed per diversos modos potentiae unitos redderetur potentia facilis, adde illud, quod acquiritur esse formale principium influens in actum, quia in sententia P. Vasquez habitus efficit actum: ergo non est modus sed res, quia modus non est principium operativum.

Tandem ponamus hominem exercuisse iustitiam circa uxorem alicuius, deinde eandem virtutem exercuisse circa pecuniam, probo hoc augmentum non esse modum adiectum primo habitui, nam per adulterium amitteret iustitiam circa uxorem illius, & retineret iustitiam circa pecunias: hoc enim saepe contingit, at si facilitas circa pecuniam esset modus iustitiae, circa uxorem non remaneret corrupto habita priori, quia modus necessario perijt cum re cuius est modus: ergo.

Angelus est qui movetur ipsum, & sic motus erit in illo tanquam actus entis in potentia, secundum quod in potentia est, ad hoc ut acquirat locum, sed actus entis spiritualis non est corporeus sed spiritualis: ergo motus quo movetur Angelus, si quidem est actus ipsius, qui per se, & perfecte spiritualis est: ergo talis motus pure, & perfecte spiritualis erit præcipue, quia motus, & terminus acquisitus per illum sunt eiusdem ordinis; sed per motum Angeli producitur ubi spirituale in ipso, ergo motus est pure spiritualis in Angelo.

64 Deinde iste motus est proprie successivus, ut adversarij asserunt: ergo essentialiter habet partes priores, & posteriores, primum ut distinguatur à punctis, secundum quia hoc est de essentia successivi in quo distinguitur à permanenti, sed istæ partes non sunt discretæ, sed vere continuæ, quia motus Angeli non solum est successivus, sed vere, & proprie continuus. ut patet ex dictis: ergo debet habere propriam, & veram continuationem physicam, sed continuatio physica propria, quæ uniendo partes continui constituit essentialiter ipsum continuum distinctum essentialiter à discreto, est per ipsam unionem, & continuationem physicam, quod probat latissime P. Hurtad. in *physicis disp. 1. sect. 3. num. 56.* & etiam P. Suarez in *met. tract. de motu, & tempore*: ergo modus localis Angeli, qui vere & proprie spiritualis est habet veras, & proprias partes, vera, propria, ac physica unionem unitas, atqui tales partes non sunt extensionis, sed extensionis; in motu enim localis nulla datur intensio, & una pars non recipitur in alia, & sic non se habent tanquam actus, & potentia, quia in successivis quando pars posterior est, iam non est pars prior, alias non essent priores, & posteriores illæ partes, sed simul: ergo tales partes sunt integrantes, quia non est medium inter partes essentielles materiae, & formæ, & integrales, seu extensionis; sed illæ partes non sunt essentielles per modum actus, & potentia, aut per modum materiae & formæ: ergo sunt partes integrantes cum sint extensionem continui componentes: ergo enti spirituali recepto in entitate spirituali indivisibili, non repugnant partes extensionis, seu integrales, vera, & physica unionem unitas: ergo falsum est illud principium Adversariorum.

65 Vigetur hoc, quia, ut in sententiis adversariorum videtur, est, ut in lib. 4. de Angelis, P. Suar. unio animæ rationalis ad corpus est spiritualis, sed hæc unio habet partes extensionis continuas: ergo. Minor quoad secundam partem evidens est, si supponatur, & probetur prima illius pars, scilicet quod illa unio habeat partes, quia anima rationalis non informat discretè materiam primam, sed continue sine aliqua interruptione omnes partes tam aliquotas, quæ proportionales illius, & sic informatio, quæ est ratio formalis informandi erit continua, sed informatio est unio: ergo unio illa continua est, quia unio unius entis per se non debet esse ens per accidens, alias totum, quod in esse compositi per se constituitur ab ipsa unionem esset ens per accidens, quia eo modo est constitutum, ac est ratio formalis constituendi illud, quod autem anima continue informat, sic patet, quia si discretè informat, daretur aliqua pars materiae primæ, quæ non esset animata anima rationali; ergo vel esset sine omni forma, vel haberet formam aliam distinctam à rationali; unde se-

R. P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

queretur, quod una numero materia continua haberet plures formas specie, & essentialiter distinctas; & etiam quia impossibile est, quod una entitas spiritualis & indivisibilis, sit in duobus extremis, & non intermedio, alias illa entitas esset divisa à se ipsa, quod ut summum absurdum refutant P. Suar. & P. Hurt. contra negantes Deum esse in spatijs imaginarijs.

Quod autem unio animæ rationalis habeat 66 partes formaliter, sic patet, quia unio animæ rationalis ad corpus totum, & partes eius talis conditionis est, ut possit pars talis unionis amitti, & reliquum ipsius conservari; ergo habet partes: consequentia est evidens, quia in aliquo toto vere dantur partes quando in illo destructo aliquo ipsum constituen e, remanent cætera constitutiva, sed in tota unionem animæ rationalis ad corpus destruitur aliquid illius unionis, manendo aliquid illius: ergo illud quod destruitur, & id quod conservatur in unionem sunt partes illius; nam si illud quod destruitur in unionem, est aliquid unionis illius, & non tota unio: ergo est pars, quia non datur medium inter totum, & partem, antecedens sic demonstratur, quia quando manus abscinditur à corpore, anima rationalis non informat materiam illius manus, definitque informare manum illam, quam ante informabat, & conservatur informando reliquam materiam, quæ manet in homine abscissa manu: ergo definit informatio animæ ad manum conservata informatione ad totam reliquam materiam: ergo definit unio, & remanet unio, nam informatio animæ rationalis unio est: sed non definit tota unio cum conservetur in reliquo corpore: ergo definit pars unionis, & remanet alia pars, ex quibus tota unio constabat; ergo unio illa totalis habebat partes formaliter, quia si non haberet illas, aut tota corrumpere, aut nihil illius desineret esse secundum illud axioma indivisibile, aut totum tangitur, aut nihil, & ideo Angelus non potest desinere secundum aliquid sui, & secundum aliquid aliud conservari, sed aut totus Angelus perire, aut nihil illius, quia totus indivisibilis est: hoc idem argumentum fit de ubi Angelico, nam Angelus, qui per totam hanc domum simul est, potest conservari præsens in tota illa, desinendo esse præsens in hoc cubiculo, in quo antea præsens extiterat, sed non potest desinere esse in cubiculo, nisi desinat præsentia ratione cuius formaliter erat præsens in illo: ergo definit aliquid illius præsentia totalis, ratione cuius præsens erat in reliquo domus, & in hoc cubiculo, sed illud aliquid, quod definit esse in præsentia totali Angeli ad hanc domum non est tota præsentia Angeli, alias dum definit esse in hoc cubiculo, desineret etiam esse in tota domo, quod est falsissimum; ergo illud aliquid quod definit, pars est totius præsentia Angelicæ, quæ constabat ex illa parte, quæ definit, & ex parte quæ remanet, & conservatur ad totam domum: ergo talis præsentia Angelica constat partibus formaliter.

Respondet P. Hurtad. abscissa parte digiti, amitti 67 ti quidem tunc aliquid unionis, non tamen partem, sed totam, quia indivisibilis est, & consequenter dum amittitur in parte, licet minima digiti amitti, & corrumpi in toto corpore.

Sed contra primo, quia unio animæ ad totum 68 corpus non dissolvitur, nisi ablatis dispositionibus necessarijs ad eius conservationem; sed manus, v. g. aut pars minima digiti auricularis, non

L. 2. est

est necessaria dispositio ad unionem in reliquo corpore toto, ut constat & evidentiis hoc cernitur in augmento; nam quando anima pueri incipit informare novam partem materiae per augmentum, illa novitas non tollit à praeexistentibus partibus dispositiones necessarias ad conservandam unionem cum anima; quis ergo dissolvit, & mutat illam?

69 Secundo naturaliter nunquam contingit, ut in eodem instanti, & in eodem subiecto, & secundum eandem partem fiat mutatio in accidenti, vel modo intrinseco ab vno individuo in aliud eiusdem speciei, v.g. quod hic numero calor in hoc instanti esse desinat in ligno, & alius numero distinctus in eodem instanti illi succedat, & in modo figurae sessionis, & similibus, quod unus eiusdem speciei succedat alteri destructo immediate post illius destructionem, hoc inquam nunquam contingit in natura; unde si tota unio animae ad corpus dissolveretur, non iterum reviretur eadem anima, sed alia forma loco illius naturaliter succederet, etiam si dissolveretur tota unio ratione alicuius partis laesae, v.g. si ex eo quod infligatur cordi aliquid vulnus, & propter hanc laesionem dissolvatur tota unio in toto corpore, ita dissolvitur illa, ad animam rationalem, ut nunquam revireatur ipsa anima ad idem corpus, sed loco illius succedit forma cadaveris, & moritur homo: ergo si ex eo quod abscinditur digitus, vel quaecunque pars minima hominis destruitur tota unio prima, absque dubio succederet forma cadaveris in illa materia & non reviretur iterum eadem anima rationalis naturaliter eidem materiae, unde morietur sine dubio homo: sed falsissimum est quod moriatur homo ex eo quod abscindatur minima pars digiti: ergo.

70 Tertio, quia illa unio animae ad digitum est modus non solum animae, sed etiam digiti, & per quam anima determinatur ultimo ad digitum: ergo eadem unio non est unio animae ad aliam partem, quia in sententia vera, & praecipue, quam defendit P. Hurtadus, ultima determinatio ad aliquid non potest esse determinatio ad aliud; & sic in metaphysica asserit hic author, quod haec numero actio nec per potentiam Dei absolutam potest intelligi sine hoc numero termino cum alio, vel sine hoc numero agente cum alio, & rationem reddit, quia iam separaretur modus à re cuius est modus, sed unio animae ad digitum est ultima determinatio animae ad illum, & modus illius: ergo non potest esse unio alterius partis, nam iam modus unius rei esset sine illa cum alia, nam dum est unio in capite, esset cum capite sine digito; item idem modus esset in distinctis locis, & in distinctis subiectis, quae quis non videat esse maxima absurda.

71 Vergetur hoc in vbi Angelico, nam vbi Angeli, quo totum est sine aliqua discretionem in toto hoc gymnasio, & in omnibus partibus illius tale vbi, totaliter sumptum est divisibile, nam Angelus quatenus est in hac parte determinatur ad illam per modum vocationis, qui non possit reperiri in alia, quia est ultima, & actualis affectio, seu determinatio ad illam partem loci sine vlla in-differentia ad aliam partem, & in sententia huius Authoris individuatur in ordine ad illam partem spatij, & in alio loco est per vbi, quod ad illam partem spatij determinat, & non est indifferens ad aliam partem, quia est ultima actualitas illius in qua non datur virtus ad aliud spatium, aliàs mo-

dos in ea ratione formali, qua talis est, haberet potentialitatem ad aliud, si quidem haberet virtutem ad illud; & sicut totalis unio quia est modus Petri, non potest esse unio Ioannis, & pars unionis partis Ioannis propter eandem rationem non potest esse unio alterius partis, nec Petri, nec Ioannis, sic etiam vbi huius Angeli, non potest esse vbi alterius, & vbi Angeli, ad hunc locum non potest esse vbi illius ad aliud locum, quia aequae respicit, & Angelum, & locum, ut modus, unde propter eandem rationem non est indivisibile formaliter, & virtualiter divisibile in ordine ad locum, ut ait ipse Hurtadus.

Quod sic demonstratur, quia anima rationalis ex eo quod formaliter indivisibilis sit, & virtualiter divisibilis in ordine ad locum indiget modo vocationis, quod contrahat tanquam ultimum exercitium formale, & tanquam ultima actualitas illam virtutem, & potentialitatem adesse actu in loco divisibiliter: ergo si illud etiam vbi esset virtualiter divisibile, non esset ipsum actuale, & formale exercitium virtualis divisibilitatis animae, quia in formali, & ultimo exercitio nulla datur virtualitas, aliàs ad illam virtualitatem dabitur aliud exercitium, v.g. in intelligentia nulla datur potentialitas seu virtualitas ad intelligendum, quia est formale exercitium virtualitatis, seu potentialitatis ad intelligendum, quae est in intellectu, sed vbi etiam est ultimum exercitium virtualitatis divisibilis in Angelo existentis: ergo in illo vbi nulla datur virtualitas sed summa formalitas, & actualitas illius virtualitatis, quae in Angelo datur sed virtualitas erat divisibilitatis: ergo formalitas per quam actuatur est formaliter divisibilis, sicut quia in intellectu datur discursus virtualiter, & virtualis perceptio veritatis actualitas, seu exercitium per quam contrahitur, actuatur & exercetur talis virtualitas intellectus, non est virtualis discursus & perceptio, sed potius actualis, & formalis discursus, & perceptio veritatis, aliàs si virtualitates essent, indigerent alijs formalitatibus: unde procederet in infinitum, ut supra probatum manet.

Confirmatur amplius, quia actio qua produci-tur una pars, non potest esse actio, qua produci-tur alia, v.g. actio qua produci-tur materia prima non potest esse actio qua produci-tur forma, nec actio qua produci-tur cor potest esse actio qua produci-tur caput, aut manus, & non propter aliam rationem, nisi quia actio qua produci-tur materia prima est determinatio, & modus agentis determinantis illum, in ordine ad materiam primam, quae est distincta res à forma, licet idem agens per unam indivisibilem potentiam, ut est Deus producat materiam, & formam: sed unio animae ad manum, est determinatio seu modus animae ad informandam manum, & praesentia, seu vbi Angelicum, quod habet in hoc loco est determinatio, seu modus Angeli determinantis ipsum ad hunc locum, ergo unio animae ad manum non est eadem unio, nec identificatur realiter, cum unione ad caput, & ad pedes, licet eadem anima per unam indivisibilem entitatem informet manus, caput, & pedes, & vbi, seu praesentia per quam Angelus est in hoc cubiculo, non potest esse praesentia, seu vbi, per quod Angelus est in reliquo domus, licet idem Angelus numero per eandem indivisibilem entitatem substantialem, sit in hoc cubiculo, & in reliquo domus: ratio est evidens, quia essentia animae, & substantia Angeli, quia

quia sunt res secundum eandem indivisibilem entitatem, possunt esse in hac, & in illa parte, quia habent virtualitatem, & virtualitatem manendo in eadem indivisibili ratione entitatis ad varias, & distinctas partes; res enim nec individuatur, nec dependet, v.g. essentia animæ, & substantia Angelici ab hac, vel illa parte, vel loci, vel materiæ primæ, & ideo sunt absolute ab omni dependentia, à parte materiæ primæ determinata, & à parte determinata loci, vñio autem, & vbi Angelicum, cum sint modi animæ, in ordine ad partes materiæ primæ, & loci dependent essentialiter ab Angelo, & anima non secundum se, sed in ordine ad partes materiæ, & ad partes loci, unde hæc numero vñio, & hæc numero præsentia individuantur ab anima rationali, & ab Angelo, non secundum se, sed in ordine ad hanc partem materiæ, & ad hanc partem loci, sine vlla potentialitate, & indifferentia, ad aliam partem materiæ, & ad aliam partem loci; modus autem nullam potentialitatem, seu indifferentiam habet ad aliud, quia in summa actualitate constituitur, vt ex supradictis constat, aliàs esset modus & non modus; modus, quia supponitur: non modus quia habet potentialitatem, & indifferentiam ad aliud præter id respectu cuius est modus & determinatio, seu actualitas.

Ex hoc colligeretur evidenter posse separari à re cuius est modus, & esse sine ipsa, unde non modus esset, quia de essentia modi, vt distinguitur à re, est vt non possit esse sine re cuius est modus: ergo si vñio animæ rationalis, quæ informat hanc partem materiæ, est determinatio animæ, ad informandam hanc materiam, & vbi, quo Angelus existit in hoc loco, est modus, seu determinatio Angeli ad illum, dicendum est necessario, distinctum esse hanc vñionem manus, ab vñione capitis, & vbi, quo est Angelus in hoc loco est distinctum ab vbi, quod est in alio loco, & ex utroque fit totum vbi, quo totaliter Angelus existit in toto loco: ergo hoc & illud vbi sunt partes totius vbi: ergo vbi totale Angeli licet sit entitas spiritualis habet partes integrales physica vñione unitas.

74 Dices cum Hurtad. vñionem animæ ad corpus, & vbi Angelicum etiam si sunt indivisibiles entitates, formaliter habere virtutem extensionem, ad diversas partes corporis, & ad diversas partes spatij, sicut unica anima rationalis indivisibilis, & vna substantia Angeli formaliter & indivisibilis, & simplex habent divisibilitatem virtutem, ratione cuius eadem entitas numero est indifferens vt sit hic, vel illic.

75 Sed contra primo, quia essentia animæ rationalis cum sit absolute res, quia est absolute substantia, non consistit in actualitate, & ultimo formali exercitio informandi extensæ, & divisibiliter, nec est vltima actualis ratio formalis constituens formaliter intrinsecè animam divisibiliter, & extensè informantem partes extensas corporis, sed consistit in actu primo & in potentialitate informandi, & ideo potest habere virtualitatem extensionis; ipsa autem informatio actualis ex eo quod vltimum & formale exercitium sit, in illa ratione non habet virtualitatem, & potentialitatem in eodem genere, quo est exercitium actuale; sicut actio, quia in ea actione est formale exercitium productivi nullam habet virtualitatem producendi: sed tota actio est formale, & actuale producere, sed vñio, & vbi Angelicum sunt exercitium

vñibilium, & entis potentis esse præsens, non habent virtualitatem in ratione vñiendi, nec in ratione præsentandi; ergo etiam similiter, cum vñio ipsa sit actuale & formale exercitium extensionis, & divisibilitatis virtualis animæ in ordine ad informandas partes extensas corporis, & vbi est exercitium actuale virtualis extensionis substantiæ Angelicæ in ordine ad effundum in toto loco divisibiliter, nullam habebunt potentialem nec virtutem extensionem, sed necessario debent habere formalem extensionem, & formalem divisibilitatem.

Secundo, quia res eadem propter rationem 76 suam absolutam, perfectam, & independentem, actualiter potest esse indifferens ad plures, & propter illam indifferentiam esse in pluribus rebus distinctis, non autem modus, quia est determinatio vltima rei indifferens ad hanc vel illam rem; determinatio autem ad aliquod non est indifferens, nec potest esse in alio, alias daretur supradictus processus infinitus, sicut omnipotentia Dei eadem indivisibilis est infinite indifferens ad producenda infinita: hæc autem numero productio, vt diximus, quæ oritur ab illa, ad producendum hunc numero Angelum, non est nec potest esse productio hominis vel alterius Angeli, qui est modus, & determinatio vltima ad hunc effectum, unde non valet argumentum ab anima rationali & à substantia Angeli, ad vñionem, & ad vbi, quia à rebus ad modos non est recta argumentatio in ea ratione formali, qua res constituitur in esse rei, vt est virtualitas, potentialitas, & indifferentia, per quas rationes formales distinguitur modus à rebus, & res distinguitur à modis.

Nec valet obijcere, quod cognitio, quæ spiritualis est obiecti extensi, licet sit modus formaliter indivisibilis, est virtualiter extensa.

Sed contra, quia cognitio non est modus sed 77 res, qualitas scilicet vitalis, quæ repræsentat rem extensam; unde ex hac parte, cum sit res, poterat habere virtutem extensionem, sed certissimum est cognitionem illam talem virtutem extensionem non habere ex eo quod repræsentet rem extensam; quis enim dixit cognitionem intuitivam Dei ex eo quod Deum repræsentat esse virtualiter Deum, aut infinitum virtualiter: unde solum solet dici extrinsecè extensam cognitionem seu obiectivè, sicut etiam obiectivè infinitam, & ratio est quia virtualitas debet exerceri per actum distinctum ab illa virtualitate, cognitio autem non exercetur pro obiectum, tanquam per actum.

Item, quia repræsentatio est maxime extrinsecæ 78 respectu obiecti, unde non induit conditiones ipsius; nam cognitio, quæ repræsentat infinitum, vt in se est, non dicitur infinita: sed cognitio, quæ repræsentat suppositum, non dicitur suppositalis, nec cognitio quæ repræsentat substantiam dicitur substantialis, & ratio est, quam diximus, quia cognitio est maxime extrinsecæ obiecti, & sic potest dari actualiter cognitio de re, quæ realiter non est, & potest esse separata loco maxime ab ipso obiecto; vbi autem, & vñio tantam dependentiam habent à spatio, & à parte vñibili, vt nec divinitus possint esse actu sine illis, vel separata loco ab illis; unde maiorem dependentiam actualem habent, quam cognitio respectu obiecti, quia vere sunt modi illorum, & sic vbi, quod faceret præsentem substantiam Angeli infinitis locis

adequatis, absolute esset infinitam actu: ergo vnio, quæ vnit substantias, dicitur substantialis, & vbi Dei infinitum est, quia facit Deum præsentem infinitis locis.

79 Confirmatur, quia ideo nutritio in sententia Hurtad est in instanti, & simul, quia terminus illius, qui est vnio, est indivisibilis.

Sed e contra, motus localis Angeli est vere continuus, & successivus; ergo ideo talis erit, quia vbi, quod producit per illum successive, habet partes, quia res indivisibilis non producit successive, & per multas partes priores, & posteriores motus. sed per vnicam indivisibilem actionem, ut demonstratum manet prima ratione primæ conclusionis, quia indivisibile, quod semel attingitur, aut totum, aut nihil tangitur, sed vbi Angelicum non producit per indivisibilem actionem, sed per motum continuum, & successivum constantem partibus prioribus, & posterioribus, id est per multos motus partiales, atqui tale vbi, est talis conditionis, & naturæ, ut ex vi illius Angelus est divisibiliter in toto sibi adæquato loco divisibili, & non est discretus, sed continue in toto loco sine aliqua interruptione: ergo vbi illud, est continuum, & divisibile.

80 Nec obstat dicere, quod motus Angeli, non sit formaliter continuus, quia hoc argumentum non innititur continuationi motus, sed formali successioni illius; motus enim successivus localis constat partibus prioribus, & posterioribus formaliter, ita ut per priorem partem illius motus, acquiratur prior pars spatij, & aliquid ipsius vbi correspondentis illi, & per posteriorem posterior pars spatij, & aliquid etiam vbi correspondentis illi spatio, ita ut quando advenit, advenit pars posterior motus, iam non sit prior, & nihilominus remanet producta prima pars vbi, quia est permanens dum Angelus conservando priorem partem spatij extenditur ad aliam, & aliam usque ad adæquatum locum sibi: ergo evidenter sequitur vbi illud, habere partem, & partem, sed partes illæ non sunt discretæ in loco, quia Angelus in toto illo loco non est discretus sed continue, quia Angelus est sine interruptione in toto loco: ergo partes illæ continuantur inter se physica continuatione cum physice existat Angelus in toto loco continuo.

81 Quod autem sit formaliter continuus motus, sic patet ex eo, quia Angelus movetur sine aliqua interruptione per vnam horam integram à primo quadrante usque ad ultimum: unde ille motus coæquatur toti horæ sine aliqua interruptione, sed tota hora est successiva essentialiter & continua formaliter: ergo & motus Angeli; quomodo enim res indivisibilis poterat fieri de novo sine interruptione, & discretionem cum continuatione per totam vnam horam, quæ successiva est, & continua? nam ideo colligimus evidenter, motum factum ab Angelo in Prophetam fuisse vere, & formaliter successivum, & continuum, quia fiebat non simul, sed successive per tantam durationem temporis in vno individuo, sine aliqua interruptione; sed idem ipse Angelus movebatur eodem tenore simul per illud ipsum spatium, & per eandem durationem temporis sine interruptione, aliàs Angelus non posset moveri in tempore vero, sine aliqua interruptione, per motulas, quod ab omnibus Theologis rejicitur, sed ille motus factus per vnam horam erat vnus numero motus successivus, quia erat vnus numero mobile, vna numero hora non

interrupta, per vnum numero spatium continuum: ergo vnus erat numero motus continuus, ut patet ex Arist. in *Physicis*, qui vnitatem numericam motus sumit ab his tribus: a qui vnus numero motus non habet partes discretas, sed continuas, quia vnitas numerica physica, de qua ibi loquitur Aristoteles, non datur in rebus, quæ habent partes divisas, sicut videre est in materia prima, quantitate, & albedine: ergo si ille motus est proprius, & formaliter vnus numero, & sine aliqua interruptione erit formaliter continuus, sicut hominis motus localis propter has rationes est continuus vere.

Dices, satis probatum manere, non repugnare vnionem Physicæ inter partes habitus quia habitus est entitas spiritualis, repugnare tamen ex eo quod nihil possit esse in habitu quod non fuerit in actu formaliter; cum tamen in actu nulla sit vnio formaliter, inde est quod repugnet habitui.

Sed contra & sic secundum præcipuum argumentum pro nostra sententia, quia actus est causa æquivoca habitus, ut ait P. Suarez in *Met. Hurtad. in libris de anima*, P. Vazquez, l. 2. & sic ceteri DD. sine controversia: sed non est necesse, quod in causa æquivoca contineatur formaliter, quod est in effectu, & ideo licet Deus sit entitas indivisibilis, & spiritualis, carens omni vnione physica, producit quantitatem extensam & corpoream, & compositum physicum habens vnionem essentialiter inter suas partes, & intellectus, in omnium sententia producit habitum intensum, & voluntas in sententia Hurtad. medijs suis actibus producit habitum intensum constantem vnionibus physicis inter partes intentionis, cum tamen intellectus careat omni intentione & vnione, quia caret essentialiter partibus.

Clarius exemplum: Angelus producit in cælo motum continuum, successivum & corporeum, & ille motus habet veram, & physicam vnionem inter partes extensionis, & Angelus omni caret vnione, quia est causa æquivoca motus: ergo similiter licet actus intellectus producat habitum extensum, & constantem veris partibus physica vnione unitis, cum sit causa æquivoca illius, non erit necesse, ut contineat in se partes illas unitas physica vnione formaliter, sed sufficiet continere eminenter.

Ultimo principaliter probatur, quia si non daretur vnio physica inter partes scientiæ totalis, totalis illa scientia non esset vna vere, & proprie, sed tot essent scientiæ completæ, quot essent habitus, unde non vna Theologia naturalis, seu metaphysica, sed plures totales, & completæ; atqui hoc non conceditur ab Adversarijs; ergo partes illius scientiæ totalis habent veram, & physicam vnionem inter se, ut ex eis componatur vna totalis scientia per se. Maior sic probatur, quia illæ qualitates, quæ non ordinantur ad componendum physicè, sunt plures completæ qualitates, sicut plures homines, quia non ordinantur ad componendum in esse hominis, sunt completi, & non faciunt vnum hominem, nec vnitatem ordinis, nec vnitatem per se, sed scientia de Deo, & scientia de Angelis, & scientia de ente rationis non ordinantur ad componendum inter se, ergo sunt scientiæ completæ, & habent maiorem dissimilitudinem, quam homines; ergo non faciunt vnam scientiam completam, nec vnitatem ordinis, nec vnitatem per se.

Confirmatur,

86 Confirmatur, quia scientia quatenus scientia, est ens naturale, sicut intellectus, & sicut voluntas: ergo ex pluribus scientiis completis solum propter ordinem inter illas, sine aliqua physica vnione, non potest fieri vna scientia totalis, & completa. Hæc consequentia sic probatur, quia vnitas entis naturalis, quatenus opponitur enti artificiali, est vnitas per se; ergo per ordinem tantum non potest fieri vnum; ergo indiget vnitate physica: hoc antecedens sic probatur, quia ens naturale de quo agimus, est ens per se, & vnitas est attributum illius, atqui attributum debet proportionari cu eo cuius attributum est: ergo vnitas ipsius non debet esse vnitas ordinis; sed vnitas per se patet, quia vnitas ordinis proportionatur cum ente ordinis, & vnitas per se cum ente per se; ergo vnitas ordinis non proportionatur cu ente per se, sicut non proportionatur vnitas per se cum ente ordinis: ergo si scientia est ens naturale per se, habebit vnitatem naturalem per se, sed vnitas naturalis per se in ente habente partes est per vnionem physicam inter illas: ergo vnitas habens cum sit vnitas per se, & naturalis, debet esse per vnionem physicam inter partes illius habitus totalis, alias illa vnitas, non erit vnitas per se naturalis, sed vnitas ordinis, & artificialis; vnde erit absoluta naturaliter per accidens, vt in esse naturalis vnitas exercitus est vnitas per accidens; atqui vnitas scientie non est vnitas per accidens, sed vnitas per se naturalis: ergo non est per ordinem solum, sed vel per simplicitatem, vt est Angelus, & intellectus, & vt ponunt Thomistæ ipsam scientiam, aut per physicam vnionem, sed non est per simplicitatem vt suppono ex demonstratis prima conclusione, & ex ipsa opinione Adversariorum, quibuscum pugno: ergo est per physicam vnionem, nam v.g. quia homo est ens naturale per se, & non est ens artificiale petit vnitatem per se non per ordinem solum, quia ad esse hominis non sufficit vnitas ordinis, sed potius est necessaria vnitas naturalis, ex vnione physica inter partes hominis resultans; & ideo, vt dixi, licet ex pluribus hominibus ordinatis resultet vnus exercitus vel vnus populus, aut vna congregatio, non tamen vnus homo, quia nomen homo indicat entitatem naturalem per se, ad cuius vnitatem non sufficit ordo, sed necessaria est alia perfectior vnitas.

Explicatur amplius, non minus est ens naturale per se scientia, quam gratia, intellectus, voluntas, albedo, & quantitas, sed quia illa sunt entia naturalia per ordinem inter plures albedines, non fit vna albedo, & per solum ordinem inter plures intellectus non fit vnus intellectus, & per ordinem inter plures actus virtutis non fit vnus actus: ergo similiter per ordinem inter plures scientias non resultabit vna scientia, sed potius resultabit vnus exercitus scientiarum, aut congregatio illarum, solum enim restat probandum, quod hoc nomine non scientia completa indicet ens naturale per se, sicut indicat albedo, quantitas intellectus, & voluntas, quod sic demonstratur.

87 Nam scientia vt sic prout abstrahit à creata & increata est ens per se, & in sensu in quo loquimur hoc est quatenus opponitur enti artificiali vel enti ordinis, vt est vniversus orbis, est ens naturale, id est ens per se absolute, alias si non esset ens per se absolute, non participaretur à

scientia increata, & Angelica; quæ sunt vere entia per se, nam ab ente per se, & per accidens, non abstrahitur ratio entis vt sic; ergo scientia vt sic est ens naturale per se: ergo inferiora per se contenta sub illa erunt entia per se naturalia: ergo Theologia naturalis, &c. erit ens naturale per se vnum, & non ens ordinis, aut artificiale: deinde, quia si tota Theologia naturalis est ens ordinis, & artificiale: ergo partes, ex quibus constat sunt entia naturalia, id est entia per se, v.g. quia exercitus est ens ordinis, vnaqueque pars illius nempe vnusquisque homo est ens absolute per se, & ens naturale, & quia vniversus orbis est ens ordinis, vnaqueque pars illius est ens naturale per se: ergo similiter, vt diximus, si tota scientia adequata, scilicet tota naturalis Theologia est ens ordinis, vnaqueque pars illius erit ens naturale completum, sicut homo, qui componit exercitum, & vnumquodque elementum, quod componit vniversum. Tunc sic, vnaqueque ex illis partibus, quæ ens completum est, quod ens completum est: & quomodo denominatur? Certe nullum aliud ens est, nec alia denominatione nominatur nisi denominatione scientie completæ, sicut pars vniversi, quæ circa cælum est, est & vocatur ignis completus, quod sic probatur, quia vnaqueque pars illius scientie totalis, vt probatum est, est ens completum, sed non est ens completum substantiale: ergo accidentale, & non est aliud ens præter qualitatem, & in ratione qualitatis est facilitas inclinans ad actus scientificos producidos: ergo est scientia completa habitualis: ergo scientia completa habitualis, prout distinguitur à toto ordinis est ens naturale per se simpliciter.

Tandem quia in prædicamento qualitatis ponitur 88 directe, & per se sub habitu vt sic scientia completa: ergo & scientia completa est ens naturale per se antecedens est evidens, quia in prædicamento qualitatis sub habitu vt sic ponuntur omnes habitus tam spirituales, quam corporales: sed scientia est habitus perfectus: ergo ponitur in prædicamento per se, atqui in prædicamento non ponitur ens ordinis vt vniversus orbis, exercitus, & in sententia P. Suarez, nec numerus, nec ens artificiale, vt scannum, domus, quia solum ponitur ens naturale, & non naturale incompletum: ergo completum: ergo scientia completa est ens naturale per se; Tunc sic, scientia totalis, vt vos ponitis, v.g. tota Theologia naturalis est ens ordinis, & non ens naturale; ergo illa vt sic non est quæ ponitur in prædicamento: ergo solum ponuntur in prædicamento scientie particulares; ex quibus totalis componitur; ergo totalis illa non potest vocari scientia adequata, & totalis: Patet hæc consequentia, quia totum ordinis resultans ex entibus naturalibus completis per se non denominatur nomine particularium entium, à quibus componitur, vt patet evidenter in vniverso, qui non vocatur elementum cum componatur ex elementis & populus, & exercitus, non vocatur homo per se completus, & domus composita ex lapidibus, quia est ens ordinis, non vocatur, nec est lapis completus; & ratio evidens à priori est, quia homines ex quibus componitur exercitus, est ens naturale completum & exercitus non est ita, sed aggregatio hominum cum ordine, item populus, & domus non est ens naturale per se, sicut petit esse lapis, ex quo componitur: ergo iure optimo, nec exercitus est ho-

mo

mo completus licet componatur ex hominibus, nec domus est lapis completus, licet componatur ex lapidibus, quia homo, & lapis sunt entia completa naturalia, exercitus autem non est ita, nec domus: ergo neque exercitus est homo completus, nec domus est lapis completus, ens enim ordinis, nec est nec potest denominari ens naturale: ergo nec exercitus, qui est ens ordinis potest esse, aut denominari homo completus, qui est ens naturale per se, nec domus lapis completus propter eandem rationem, sed scientia completa est ens naturale: ergo si tota Theologia fiat solum pluribus scientiis completis cum ordine, non erit, nec vocabitur vilo modo vna scientia completa, sed potius plures scientiae completae, aut congregatio exercitus, seu congeries scientiarum plurium completarum, unde metaphysica non erit vna scientia sed potius congregatio scientiarum, atque metaphysica est vna scientia; ergo non est solum ens ordinis constans pluribus completis scientiis, sed potius vna adequata scientia constans pluribus partialibus scientiis, physica & vera vnione vnitis, ratione cuius vere & proprie tota adequata metaphysica dicitur vna scientia per se.

89 Dices totam adequatam metaphysicam vocari vnam scientiam, non propter vnionem physicam, sed propter obiecta materialia.

Sed contra, quia etiam Angelus, & ens rationis etiam, quatenus sunt obiecta materialia metaphysica, sunt completa entia, & non ordinantur ad componendum, imo si esset idem numero obiectum materiale, non esset vna scientia, ut metaphysica & visio beatifica agunt de eodem obiecto numero, & nihilominus sunt distinctae scientiae totales.

Dices esse vnam scientiam propter vnam rationem formalem in omnibus illis obiectis.

Contra quia ratio formalis in eo obiecto est cognoscibilitas obiecti, sed Deus, Angelus, possibilitas, & existentia petunt cognoscibilitates completas distinctas: ergo petunt obiecta formalia completa distincta; ergo non est vnum obiectum formale completum, a quo accipiat suam vnitatem completam metaphysica, sed potius erunt plura completa obiecta formalia; unde metaphysica quae accipit suam vnitatem ab obiecto formali, non erit vna scientia sed plures scientiae completae; quod autem in obiectis logice dentur plura obiecta completa, id est plures cognoscibilitates completae, sic patet, quia cognoscibilitas est veritas; veritas autem est attributum entis identificatum per vos cum ente, sed attributum sequitur naturam entis cuius attributum est, & ideo omnipotentia Dei est completum attributum, quia Deus est ens completum, & risibilitas est proprietas completa: quia homo cuius proprietas est, est ens completum, sed Angelus, Deus, & caetera subiecta metaphysicae sunt entia completa, quia non ordinantur ad componendum per se: ergo etiam cognoscibilitates illorum erunt completae: item abstractiones tot multiplicentur in obiectis realiter, quot sunt obiecta, & sicut ex illis obiectis non fit vnum obiectum per se, ita neque ex abstractionibus eorum, unde erunt multa obiecta formalia completa.

91 Nec sufficit, quod detur subordinatio in principiis, vel quod sint eadem principia omnium scientiarum, ex quibus componitur metaphysica;

quia scientia subalternata, & scientia subalternans sunt duae scientiae distinctae, & completae, & nihilominus subordinantur in principiis, & eadem principia subalternantis, sunt principia subalternata, quia fit vltima resolutio subalternatae scientiae in principia subalternantis, & propter hanc rationem non desinunt esse plures scientiae completae distinctae; ergo quod scientiae ex quibus componitur metaphysica habeant eadem principia vel subordinentur in illis, non obstat ad hoc, ut sint distinctae scientiae completae.

Item quia scientia totalis Theologiae est perfectior essentialiter in esse entis, quod nemo dubitat, cum sit spirituale ens in ordine ad cognoscendum Deum, & Angelos, quam albedo, quantitas, & caetera accidentia materialia; sed quod est perfectius in esse entis non potest esse perfectius in attributis entis, cum talia attributa identificentur per vos cum ente, & sequantur naturam illius; ergo Theologia naturalis totalis non exceditur a quantitate, & albedine in esse vnus; ergo Theologia naturalis non est per accidens ens, sed per se, & vnum per se, alias esset perfectior vnitas quantitatis, quia vnum per se perfectius est vno per accidens: ergo Theologia naturalis, & habet vnitatem per se, & spiritalem in quo excedit quantitatem, non simplicem: ergo compositam vnione physica.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

Ad primum locum D. Thom. Respondeo loquutum fuisse S. D. de habitu partiali, & non totali; habitus enim partialis simplex, & indivisibilis qualitas est: habitus autem totalis composita qualitas, quod eadem quasi. art. 1. in corp. expresse asseruit D. Thom. dicendo habitum totalem esse dispositionem, comparando illam dispositioni sanitatis, & pulchritudinis, ut videre est in toto corpore articuli, sanitas enim & pulchritudo minime sunt simplices qualitates, sed compositae: ergo eodem modo erit composita scientia totalis in sententia D. Th.

Ad secundum locum qui est art. 4. illius quasi. 2. dicendo ibidem substinuisse clarissime nostram sententiam his verbis D. Thom. si igitur consideramus habitum secundum ea ad quae se extendit, sic inuenimus in eo quandam multipliciter, sed quia illa multipliciter est ordinata ad aliquid vnum, inde est quod habitus est qualitas simplex, &c. ubi clarissime videtur, & conficitur in quo sensu dicatur a D. Th. esse simplicem, id est non esse aggregatum per accidens constans rebus sine ordine, sed rebus ordinatis ad componendum vnum physica vnione vnitis, & hoc indicat illud verbum multipliciter, & in hoc sensu etiam loquitur lib. 2. contra Gen. ubi cum Philosopho in physicis nominavit elementa corpora simplicia, non ex eo quod non sint composita, sed quia habent vnitatem per se, quae comparata cum vnitatem ordinis quam habet vniversus, qui componitur ex elementis, simplicitas potest dici.

Ad primam rationem Respondeo concedendo maiorem, & negando minorem, ut ex dictis in fine primae conclusionis patet.

Ad

Ad secundam rationem nego maiorem, & minorem.

Ad tertiam concedo maiorem & nego minorem, ad probationem illius concedo illud, & nego ultimam partem illius probationis.

94 Ad primum tertie sententiae Respondeo concedendo maiorem, & negando minorem, ad probationem illius, quoad secundam partem, concedo maiorem & ultimam partem illius argumenti; & ratio est, quia hæc continuatio in multis differt à quantitativa, primo quia quantitativa fit per extensionem partium quantitatis in partibus subiecti, habitualis vero minime, sed per multiplicatam partium habitus in eodem indivisibili subiecto in ordine ad diversa obiecta: secundo, quia quantitativa extensio proprie dicitur esse per commensurationem in ordine ad locum, hæc vero minime: denique quod notandum est, extensio quantitativa oritur ex peculiari repugnantia, quam partes eius propter impenetrabilitatem ortam à mole corporea habent respectu eiusdem spatij: at vero extensio habitus non oritur, nisi ex peculiari ordine transcendentali ad varia obiecta: atque una simplex qualitas non potest respicere.

Ad secundum concedo antecedens, & nego consequens: ad probationem distinguo, eminenter, concedo; formaliter nego.

95 Ad ultimum nego maiorem, quia non est representativa cum non sit ad representandum ex sua natura, sed ad vniendum partes representantes, puncta enim continuativa non sunt representativa obiecti, neque inclinatio ad illud: nam indivisibile speciei expresse materialis, non representat indivisibile coloris, alias videretur à visu, quia representari in visione, & videri idem sunt; sed non videntur indivisibilia, quia sensu imperceptibilia: ergo. Puncta enim solum servant ad vniendum, sicut ipsa vniō intellectus ad animam non est intellectiva, sed solum vniō intellectivi, quia modus non sequitur in omnibus rem, alias ubi, potentia, relatio, & conservatio intellectus, quæ sunt modi illius, intelligerent aut representarent, quod est falsum.



DISPUTATIO II.

De essentia, & natura entis in communi.

QUÆSTIO I.

De significatione huius dictionis.

 &c dicitio, ens, est participium verbi sum; sicut existens est participium verbi existo, & vivens est participium verbi vivo, habetque varias significationes.

1 Primo significat essentiam rei, hoc est primum & intimum constitutum alicuius, à quo tanquam à radice fluunt passionem rei, vel cui conveniunt attributa, ut animal rationale in homine, & substantia spiritualis intellectiva completa in Angelo, à quibus fluunt proprietates, &c.

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

passiones, quæ conveniunt homini & Angelis; tandem ut est divinitas in Deo, & hoc docet D. Thomas quod libero. 2. art. 3. his verbis; Verum est quod hoc nomen, ens, secundum quod importat rem, cui competit huiusmodi esse, à quo tanquam à radice fluunt proprietates; sic significat essentiam rei, & dividitur per decem genera eadem significatione sumptis 2. contra Gen. & super secundum librum met. Arist. lect. 2. & 3. p. 9. 3. art. 4. & 5. in eadem acceptione etiam sumptis Aristoteles hanc dictionem in Dialectica, in prædicamentis C. 4. met. cap. 5. ubi ait; est quædam scientia, quæ speculatur ens, propterea est; & secundum translationem Argipoli secundum quod est ens, & quæ ei per se insunt; ubi advertit D. Thomas illa verba, ens, secundum quod ens est, importare essentiam; quia ut ait commentator. 3. de anim. tom 4. ens ut essentiam importat, est terminus speculationis primæ philosophiæ; & ideo ait D. August. 10. de civit. & 2. de Trinit. cap. 3. ens divinum esse unum in divinis, id est una essentia in tribus personis, ut definitur in cap. Damnamus, de summa Trinit. & fide cathol. & in 6. Synodo a. 11. & in Concilio Nysen. Ephes. & alijs.

Secundo significat existentiam rei, hoc est ipsum actuale exercitium essendi, per quod res dicitur extra causas esse, ut patet ex Cicerone, 3. de fin. b. & 4. Tuscul. in quo sensu sumitur à D. Thoma 1. contra Gen. cap. 25. & 26. ubi sumit ens secundum quod importat actualitatem per quam res actualis distinguitur ab entitate in potentia; sed tale distinctivum est existentia: Ergo ens significat ex mente D. Thomæ actuale exercitium essendi, seu actualem existentiam, & solet communiter dici ens participiale, sicut vivens, si ut participium sumatur, significare actualem usum, seu exercitium vitæ; hæc significatio fundata est in proprietate, & rigore verbi, sum, quod absolute dictum actuale esse, seu existere denotat; unde etiam Dialectici dicunt in propositione de secundo adiacente, verbum est nunquam absolvi à tempore, & patet etiam ex communi usu; nam si quis dicat, Adam est, facit propositionem falsam, quia significat ipsum existere; habet autem hoc verbum, sum, participium in ipso inclusum, in quod potest resolvi; & in hoc sensu solus Deus necessario est ens à se, quod significat nomen ineffabile, leoba, hæbræe; theagymaton, græcè: quod solius Dei est, per quod discriminatur à creaturis; ut notat D. Hieronym. in Psalm. 8. & Galatinus in sua arte cavalli. lib. 2. cap. 10. & 11. P. Delius in Magia. Valsq. 1. p. tom. 1. in proximiab. quod nomen, ut ait P. Alcazar super caput primum Apocalypsis, nor. 3. idem significat quod esse, quia ut efficaciter probant Bellarminus in arte hæbrææ, Lypomanus & Theodoretus, sicut ens sumitur à verbo substantivo latino, sum; ita leoba sumitur à verbo substantivo hæbræo.

Vnde multi hoc nomen explicant per illud; Platonis in Tim. Oon; nam leoba habet tres dictiones וון, וון, וון, ibie, boia, vehaia, quatuor solum literas in compendium redactas continens, per quas sic scribi solet וון; si autem integras dictiones velis ex hæbræo verbo ad verbum latinis vocibus exprimere, earum propria vis eiusmodi est, erit, est & fuit; quod tradidit in Apocalypsis. Ioannes alludens ad hoc nomen, cui ait: Gratia vobis, & pax ab eo, qui est.

M